

PALLAS LATINA
SUB APOLLINIS PERSONA,
SEU
De Genuinis Linguæ Latinæ Cunabulis.

OPUS
In quatuor Libellos,
A U C T O R E
JOANNE-ANTONIO SYLVESTRO
Neapolitano Cive,
DISPERTITUM;
ATQUE
EXCELLENTISSIMO PRINCIPI
D. WIRICO DE DAUN,
S.R.I. Comiti, ac Neap. Regni Proregi,
SACRATUM.







Neap. 1718. Typis Dominici-Ant., & Nicolai Parrino.
SUPERIORUM PERMISSU.



EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. WIRICO
DE DAUN

S. C., & C. M. INTIMO STATUS CONSILIARIO,
CAMPI MARESCIALLO,
Regiminis peditum Chiliarcæ,
Custodiæ Imperialis Residentiæ Colonello,
Perpetuo Urbis Viennæ Gubernatori,
Aurei Velleris Equiti,
Domino Ladendorff.
Sacri Romani Imperii Comiti.
Theani Principi,
Proregi, & Capitaneo Generali
In Regno Neapolitano,
Domino, & Patrono singularissimo P.F.P.



Atinam Palladem, quæ neglecta cultu, horridula visu, inermis manu, in angulo mei studiosi recessus diutissimè delituit, quæque tuam charissimam, clarissimamque sobolem erudituram, jam tandem in publicum prodit, non potui, non Excellen-

tiæ Tuæ ſiſtere, ſacrare, devovere perpetuum mei in Te Obſequii, gratique animi monumentum; Tanta enim ſunt Tua, Tuorumque in me beneficia, tanta merita, & viciſſim tanta mea in te, tuoſque omnes debita; ut totus quantus ſum, nullus, niſi tuus ſim, vel eſſe poſſim; totum id, quod in me eſt, ex tuo, atque in tuo ære ſit, oporteat; totum quod è re mea naſcitur, tibi nexu, mancupioque debeatur.

Et ſanè, licet hæc in cauſa, uti ſunt, non forent, Pallas armorum, literarumque Dea, ſub cujus, niſi ſub Tuo fauſto Nomine, Numine, & auſpicio ſecurior in medium ſe proferret? quo, niſi tui potentiſſimi Patrocinii clypeo tutiùs ſe protegeret? cuinam, niſi tibi ſe ſiſteret, ſacraret, devoveret? ad quem, niſi ad te Germanum Palladis, ac Bellonæ Alumnum, Genuinum, non fabuloſum Martem, tutelare bellantium, & litteratorũ Numen recta ſe reciperet? Refluunt lætabunda ad mare citato curſu flumina, recurrunt chriſtallino pede tremuli rivi ad charum, ex quo defluxere, parentem; advolat ad Te magnificentiſſimum Heroem, ac munificentiſſimum Mecęnatem, cui ſe totam acceptam refert, gratulabunda, ac devota ſimul mea, immò tua Pallas.

Gratulatur Tibi nobiliſſimam Patriam tuam

tuam, Germaniam, inquam. fęcundiſſimam bellatorum, Virorumque perilluſtrium genitricem.

Gratulatur antiquiſſimum, præclariſſimum domi, militiæque celeberrimum avitum genus tuum; tuos Atavos, tuos (quos honoris causâ hic nomino) Parentes ter inclytos, ter virtute pręſtantes, ac fælicitate cumulatos; Cùm enim duo ſint, quæ claros Principes faciunt, ſumma virtus, ſummaque fęlicitas, ſcire obvium eſt, qua præditi fuerint virtute, qui te docuerint, qua fuerint cumulati fœlicitate, qui te generaverint. Oh genus è Coelo delapſum, unde tu naſcereris! Oh Viri veræ Nobilitatis fulgore longè, latèque rutilantes! Oh verè Glorioſi! Oh memoriæ nunquam intermoriturae mortales: Si enim transfunduntur in Filios paterni ſpiritus; ſi imbelles non progenerant animoſas Aquilas Columbæ; ſi ex arboris proceritate dimetimur radices; majores tuos de te conjicere, atque æſtimare facile negotium eſt.

Quam maximos fuiſſe eos, neceſſum eſt, qui te perquam maximum procreaverint; neceſſe eſt, eos æternum vivere, ſi in æterna tui gloria, & recordatione, ipſorum gloria, & recordatio vixerit. Exceſſere (proh dolor) exceſſere è mortali vita: ſed donec terrarum or-

bis

bis generosam posteritatem tuam cernet, donec tui memoriam recolet, illos excessisse non credet.

Gratulatur (inquam) tibi avitam originem, sed jure potiori piam, ingenuam, splendidamque educationem, magni quidem interest, à quibus nascamur; pluris verò refert, à quibus educemur: inseruntur in nos generatione rudia virtutum, vitiorumque semina; sed educatione deponuntur rudimenta, innata amputantur vitia, & ad bonam frugem formatur animus culturâ: *Quippè facile est teneros adhuc animos ad virtutem componere; & difficulter reciduntur vitia, quæ nobiscum creverunt*.

At quid hic tempus teritur? quandoquidem quàm religiosè, quàm liberaliter, quàm luculenter in utraque palæstra, literaria, ac bellica fueris eductus, jam satis probavit eventus? quantum in utraque fuerit à te profectum, quã laudabiliter jam inde à teneris unguiculis ad ineuntis ætatis usque fines fuerit emensum ingenuarum, severiorumque artium stadium, perspicuum cuique docet experimentum.

Ad majora igitur gratulanda festinat Pallas; ad demiranda nimirum, ad plusquam Heroica, ad memoratu incredibilia, ad fortia scilicet, tua & sago, & toga, belli, & domi gesta; enim

ve-

verò isthæc sunt omnimodò tua, illa propemodum aliena: ea naturæ, aut fortunæ, aut origini debes tuæ; ista tibi; Et in hoc parcat mihi benignitas tua; indulgeat mihi hac vice veniam; faciat (quæsò) liberiorem fandi copiam, indulgendum nonnumquam est aliquid cordis integritati; donandum aliquid est sincero amori; videatur fortasse prima fronte audax, inobsequiosum, dictu inurbanum, sed tamen dicendum. Es, Excellentissime Princeps, es Tui, tuique meriti nimium parcus, parum æquus æstimator. Ecquae, amabo te, est isthæc tàm sævera animi tui moderatio; (nisi fortè sit etiam magnitudo) ut ea, quæ temperantissima vetustas existimavit in suis Heroibus insignia ægregia, & humanum excedentia, tu in temetipso censeas, aut censeri velis communia, vulgaria, è trivio petita, ac penè diobolaria? irrogas (fatebor enim) irrogas aliqualem virtuti, & merito injuriam, dum merita, dum condignâ defraudas gloriâ. At occultes licèt, deprimas, extenues, vilia habeas; haud quaquam assequêris, quin sint præclara, excelsa, ingentia, quantivis pretii auro æstimabilia. Nequeunt in occulto latere, quæ in propatulo habet fama; nequeunt ulla vi in ima trahi palmæ, quæ incognita virtute, petunt alta. Nec

Pe-

Pelagus erit Pelagus, si angustissimo undequaque littore possit concludi; nec virtus erit virtus, si ullo pretio æstimari.

Quid? Vulgaria ducis ea, quæ non dum ex Ephebis egressus sub Caroli V. Lotaringiæ Ducis, antiquæ Severitatis Principis, summique Imperatoris militia, depositis innatæ strenuitatis tyrociniis, in Moguntina obsidione gessisti? Sub tanto Duce militiam auspicatus, prima pueritiæ exuisti rudimenta. Erravi. Prima avitæ, propagatæque in te virtutis edidisti specimina, prima tuæ fortitudinis documenta, prima tuæ fulminatricis dexteræ miracula: Tunc primùm priusquam Tyro, Miles, priusquam Miles, Centurio fuisti nuncupatus; & (quod plus admirationis, quàm fidei sit apud posteros inventurum) Novitius adhuc, emeritæ militiæ Miles, omnibus Imperatoriis virtutibus ad perpendiculum instructus, & militari imperio dignus, communi Emeritorum calculo fuisti judicatus. Bone Deus, si hæc vulgaria, quænam erunt eximia? Fama est, nedum celebres millenis expeditionibus commilitones, sed etiam ipsum Serenissimum Ductorem confessum propalam esse, nihil reperiri in aliis, quod tu edisceres; Plurimum autem in te manere, quod alios doceres. Tàm præclara

fue-

fuere prima armorum, quæ novus adhuc bellator, feciſti pericula, ut Veteranus quiſque, ut quiſque antiqui nominis Dux permultum haberet, quod tibi invideret, & indubiè invidiſſet; niſi invidentia potentiori oppreſſa ſtupore, ac propè abſorpta, non ceſſiſſet amori, atque æſtimationi locum, hoc enim virtutis fatum eſt, æmulam ſibi conſciſcere invidiam. Neque id abſque divini Numinis conſilio eveniſſe remur. Voluit Exercituum Deus, ut à mirabilibus militaris vitæ cunabulis, orbi innoteſceret univerſo, te, divina Sapientiâ, Providentiâque ab æterno diſponente, ad ultimum idololatriæ exterminium; ad Catholicæ Religionis propugnaculum, Fideique incrementum; ad Orientalis imperii, ſeu potiùs tyrannidis, terrorem; ad Occidentalis verò munimen, ac fęlicitatem; ad Exercituum imperia; ad Regnorum dominatus, & regimina, flagitioſorum ultorem, bonorum denique omnium Solamen; & Aſylum fuiſſe deſignatum. Et jam acta probavit exitus.

Nam quid immortalis facinoris non fecit diſtrictus iſte tuus in acie Rhittii ſecus Danubii ripas ſub Sereniſſimo Badenſi gladius? Quo non ſe penetravit? quid non vulneravit; cecidit, ſtravit? Quid non ad internecionem, &

excidium usque delevit ; donec insignita de Thracibus victoria fuerit reportata? Videres ibi threjicio tumentes cruore Istri fumare fluctus: Videres barbarorum Cadaverum tumulis vastas albescere ripas: Cernere erat panico perculsos pavore Dahas, ut succisi horrore poplites membra plagis gravia sustinere nequirent: Spectare licebat, profugas, palantesque per camporum aperta Cilicum, Odrysiorumq; turmas, trepidas Cydonum, Bistonidumque manus; Earumque Ducem cum paucis tanquam è naufragio liberatum, præcipitem, turpemque capessere fugam ; Postremò audire erat, cunctos Christiani Nominis hostes semianimi voce ad ravim clamantes, longè majorem fuisse ultionem, quàm injuriam ; facilè majus ausu temerario supplicium.

Ecquid in propugnando adversus octoginta millium Turcarum oppugnationem Acumino? Quid, inquam, de muris, ac propugnaculis, Invictissime WIRICE, unicum, firmissimumque obsessæ Urbis propugnaculum, non perpetrasti, quousque ipsam à dira, ac pertinaci eximeres obsidione? Quousque irritos Bistonidum redderes conatus? quousque novis, nec unquam anteà usitatis defensionis inventis, obsessores ab incępto deterreres, & obsessus quasi vicissatim obsi-

obsideres? Quid non fecisti, usque dum Thraces, soluto obsidio, ad vertenda fędè terga compelleres? usque donec (proh Athleticum animi tui robur!) Eruptione facta, fugitantium hostium tergo vulnera cum fęnore ingenti repensares, quæ tu in fortissimo pectoris antemurali exceperas? Et isthæc sunt communia? & quæ igitur erunt singularia?

Fuerint tamen ea, ludicra belli spectacula; Fuerint Magnanimitati tuæ trivialia fortitudinis experimenta, in Caneti oppugnatione, & expugnatione simul, per te celeriùs cogitatione confecta. Fuerint levicula, & perfunctoria, percreberrima, dubioque Marte ad Temesiam inita cum Othomanis phalangibus prælia: Fuerint tot, & tam Sanguinei conflictus ad acriora certamina Velitationes, & præludia: Sint, inquam, tibi unius assis, sint permodica, & per quam facilia ea, quæ omnes rei bellicæ expertissimi immania, horrida, ardua, periculosæ aleæ plena arbitrantur.

At maximè præclara, admirabilia, & miraculo affinia, ne dicam majora, negitare non poteris fuisse ea, quæ Austriaci Exercitus Generalis Auditor, in Landaviæ Urbis Gallicis Armis obsessæ tutamentum, gessisse forti manu perhiberis. Et undè (quæso te) tunc pri-

mò cognitum, & anteacto ævo inauditum, insuetumque Urbium defensandarum genus edidicisti? ut quamdiu fuerit Landavium, & Urbs, & Arx, longa sex mensium Intercapedine hostem ab obsidionali accessu ad Mœnia constantissimè absterrueris, arcueris, protelaveris? ubi verò Urbs in informem ruderum struem versa, soloque funditùs æquata, Urbs, & arx esse desiit ita, ut de ipsa verè dici posset: *En Campos, vel seges est, ubi Verruca fuit*; ruinas, solum, & umbram Urbis Obsessoribus occupanda reliqueris? itàque umbratiles Victores, Landavium in Landavio quæsitum nequaquam nactos, victus invictus, & viceris, & eluseris? ò fidelissimum Defensorem! Urbs te indefensum dereliquit; tu Urbem non nisi defensam!

Quid? quod Augustæ Taurinorum mœnia, aras, focos strenuissima quatrimestri propugnatione, perpauco milite, & solo Nominis, & Ominis tui præsidio, contrà innumeras Francorum cohortes, sarta tectaque servasti; ut uni fortitudini, peritiæque tuæ tributa communiter fuerit à difficillimo, obstinatissimoque obsidio nunquam credita, nulli sperata liberatio.

Quid memorem Astam perexiguo militari manipulo audacter occupatam, Gallorumq;

Du-

Ducem tàm valida, ac perhorreſcenda repulſum eruptione, ut in anhelam hoſtes verſi fugam, dorſum erumpentibus, inſectantibuſque feriendum præbuerint? Tunc (quis credat?) Tu generoſa Aquila, Auſtriaci Jovis Armigera, fulminis ocyor alis, turbinis inſtar, Gallorum prætervolantium opprimens agmina, a tergo, à latere, à fronte, urgere, exagitare, præpedire; punctim, cesim jugulum petere, ferire, trucidare, deplumare, deartuare; & mehercule univerſam primo impetu aciem fuiſſes membratim diſcerpturus, ni pleræque (ut in dubiis, deſperatiſque rebus fit) ſuperſtites cohortes, exangui formidine attonitæ, ſemineces, abjectis illicò armis, velatis, demiſſiſque manibus ſupplices ad tuos pedes non accidiſſent, petitamque veniam, & vitam à Clementia, & Lenitate Tua non impetraſſent. Atque hac te arte vicere victi: hac te vinci paſſus es; pietate ſcilicet, & amore. Excogitarunt Vaferrimi Galli fortiorem bellandi modum, & quem armis ſuperare non poterant, precibus ſuperarunt. Hæc ſunt tui moris prodigia, ut hoſtes una opera te metuant, & diligant. Hæ ſunt mirificæ tui ſolius virtutes; fugare, & unâ attrahere; proterrere hoſtem, & allicere; eſſe amare pronus, & amari dignus. Habet, habet ſuos immen-

ſos

ſos gloria ſtimulos, habet ſua vehementiſſima incitamenta; Verum tanta eſt Virtutis pulchritudo, tantæ illecebræ, tanta blandimenta, ut virtus etiam in hoſte diligatur. Depoſuere Franci arma, poſuere ſimul gliſcentes iras; & hoc pacto animus animum vicit; & amor de amore mutuò triumphavit. Triumphaſti, Dux fortiſſime, uno ictu de hoſtili corpore, & corde; Sed triumphati veluti in bivio conſtituti, animo pependerunt, victoriæne Compotes, an Expertes remanſerint. Eſt enim aliqua victoriæ ſpecies, ab invincibile vinci. Oh invincibilis brachii vis! Oh divina animi dos! Iſtæ tuæ ſunt artes: regere inſenſibili, (dicam magis) amabili imperio militares, regere paganos populos; *parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos:*

Hìc ſagata Pallas feciſſet gratandi finem; miſſa habuiſſet cætera, ſi eſſent prætermittenda, niſi forent gratulatione digniſſima, niſi divinitatem redolentia. Intemperiis, Diriſque agitata furibundo Lymphatorum, Ceritorumque more irruebat in trepidantem, gementemque Pannoniam innumera Thracum acies: Tegebant, gravabantque totos undique Campos Barbaricæ Turmæ: exæſtuabat, ſupraque ripas excurrebat tumidus cæſorum cruore Danubius; & jam jam invictæ Germaniæ jugulo Scythicæ im-

imminebant pharetræ, venenatis gravidæ ſagittis; elatus, inflatuſque immenſa armorum vi inexorabilis Biſtonidum Imperator, horribili obtutu, trucibus oculis, ſquallenti barba, collecto in nodum ſupra verticem hiſpido capillo, Æacidinis repletus minis genti natura quamvis imperterritæ, clades, mortes, vaſtitates, extrema demum fata minitabatur. Contremiſcere cuncti, tumultuari, feſtinare, arma arripere; tùm cunctari, hæſitare, rubeſcere, pallere, algere. Heu quis tantæ multitudini, tanto furori, tantæ ruinæ occurrat, obſtet, repugnet? Quis tantam vim vel pari vi retundat, vel majori repellat? Quùm Ecce providiſſimus, invictiſſimuſque Auſtriacus Cæſar. Quid trepidatis? Quid perhorreſcitis? EUGENIUS, & WIRRICUS pro me quieſcente vigilant, pro me, pro Imperio pugnant. Haud mora; capeſſite actutùm arma, ferte citi ferrum, ignem, jacite tela; Eja agite Germani aſſiduatis bellis indurati bellatores; ad arma, ad arma, ad decretoriam pugnam avolate, concurrite, dimicate, cædite, proſternite, extorreſque ab Empyreo Animas turmatim ad Acheruntem demittite. Vix ea fatus erat, & ictu oculi concenturiatis ſub ſuas Aquilas, redactis in ordinem militibus, coactis in aciem

le-

legionibus, vestro ductu, & auspicio, in Campi æquore ad Sentham, secundùm Tibiscum, feroci, indomitoque hosti obviam itum. Stetit ad prospectum uterque Exercitus, cecinere Æneatores, inflatis hinc inde tubis, lituisque bellicum, successit Tympanorum Crepitus, Equorumque bellacium hinnitus, & permixtus nostrorum Clamor, Turcarumque ululatus: dato belli signo, eminùs prius igne prolusum; bellica Tormenta horrisono reboantia fragore, ore tonanti flammantes vomuere globos, mugivit æther, intonuere aeris repercussu horrendùm Cavernæ, crebraque telorum seges, pilarumque ignitarum grando invicem contorta, atque explosa Cœlum occupavit, & Solem, Campos obruit, & volantes attulit mortes. Mox pedetentim cominùs depugnatum, pressius actum; nudato ense, ab igne ad ferrum deventum; collatis signis, conserta manu, iterato clamore, aperto Marte congressum, certamen initum, decertatum, trucidatum, superatum, fugatum, & triumphatum est.

Obstupeo etiam memorando, eriguntur comę & vox faucibus propè inhærescit, & autumo, stetisse immotis jamdudum aquis, Tibiscum stupidum tam stupendi spectaculi spectatorem;

Fa-

Fama ipſa,ſuſpenſo medias inter nubes indefeſſo volatu, obſtupuit. Proſpectavit (ut ſubindè per omnes Orbis plagas famigeratum eſt) ſingulos ordines, ac minutatim tui Conſilii,tuique corporis motus, ſingula amuſſatim tuæ dexteræ experimenta; Proſpexit, te fulmineæ ſimilem ſagittæ, perbrevi temporis momento per omnem tuorum aciem pervolantem, hos inſtruentem, illos cohortantem, timidos ad audendum inflammantem, audaciores fręno cohibentem, omnes denique,qua teſſera, qua verbis, moderantem, ut idem unus, & multiplex, in toto Exercitu videreris, quid non agebas? Quid non moliebaris? ibas, redibas, circuibas, curſabas, concurſabas, ſuadebas, animabas, ut fauſtis avibus in fidei, atque imperii hoſtes irent, & ſe opponerent, ut Dei bellum gerę-rent, & triumpharent.

Tùm primas Othomanæ Lunæ acies ſtrictò acinace viſus famæ es, impetens, premens, concidens, ac inimicos impetus valdè validiori impetu propulſans; Deus immortalis! In cuneos, in Orbes, in forbices, in ſerras, in confertiſſima quæque Thracium agmina athleticè, pancraticèque irrumpebas; Inter Haſtatos, inter Antepilanos, inter Triarios, inter Subſidia hoſtilis manus uſque,penetraviſti;quo

quid audentius? per Legiones, per Cohortes, per Turmas, per Centurias, per Manipulos discurristi; quo quid mirabilius? Lunatis Ductoribus, Primipilis, Legatis, Centurionibus, Tribunis, Militibus, etiam Gregariis, etiam Calonibus, Caculis, & Lixis obviis, terrores incussisti, & mortes intulisti? quo quid gloriosius? Vulnera vulneribus, funeribus funera cumulasti, ut substrata per hostium cadavera viam tibi ad novas inferendas mortes, & strages sterneres, & aperires. Quo quid præclariùs? vix hostem inveneras, & jam urgebas, vix pectora videras, & jam terga feriebas. Vix percusseras, & de medio tollebas: non fuit periculum, quod non subires; non anceps armorum discrimen, cui non te offerres; non labor ullus, quem in te non susciperes, usquedum Turcicas copias inclinantes, retrocedentes, fusas, confusas, confossas, accepta clade fermè absumptas, partamq; Triumphalem Victoriam non conspicatus esses. O' Invicti, & Invincibiles WIRICE, & EUGENI! Habeat sibi suos Assyria Ninos, suos Belos, suas Semiramides; habeat Media Arsaces suos, suos Astyages. Habeat Persia Cyros, Cambyses, Darios, Xerses, Mitridates. Desinat Græcia suos inflatis buccis jactitare Heroas, suos Duces, Athlantes, Hercules,

Al-

Alcides. Deſinat ſuum celebrare Sparta Euryſtenem, & Proclem; ſuum Theopompum, & Polydorum; ſuum Othryadem, & Leonidam, ſuum Pauſaniam, & Leandrum; ſuum Xanthippum, & Ageſilaum. Non invidemus totis Athenis ſuos Cecropes, Erichthonios, Celeos; non Pandionas, Theſeos, Demophontas, non Codros, Piſiſtratos, Miltiadas non Conones, Cimones, Alcibiades, Thraſybulos, Diones, Phociones, Iphicrates, Chabriades, Themiſtocles. Non Macedoniæ Philippos, & Alexandros. Non Thebis Epaminondas, & Pelopidas. Non Epirotis Pyrrhos Non demùm Aſdrubales, Amilchares, Annibales Carthaginenſibus.

Et tu, Roma invicta Orbis Domitrix, gloriare de tuo Conditore Romulo, de tuo Hoſtilio, & Anco Martio, de tuo Servio Tullio, & de Priſco, & ſuperbo Tarquino. Gloriare de tuæ libertatis vindicibus Bruto, ac Publicola, de ſævero, rigidoque Torquato, de Agricola Cincinnato.

Demirare Camillum reſtitutorem, & utrumque Fabium Maximum, & Cunctatorem, & Curſorem, celerem Papirium; Extolle ad Cœlum contemptorem auri Curium, & Fabricium, & primum pœni domitorem Marcel-

lum, extolle duo fulmina belli Scipiones, Africanum, atque Asiaticum; duo fulgura, Metellos, Macedonicum, ac Numidicum: Extolle fortem Marium, insuperabilem Sertorium, velocissimum Pompejum, atque in utroque invictum & gladio, & Calamo Julium Cesarem Augustum. Extolle inquam, nos tuos non moramur, non admiramus, non curamus, nihil pensi habemus; dum WIRICUM, & EUGENIUM habemus. Hi nobis Auctores, Liberatores, Restauratores, Cunctatores; & Celeres; Victores, & fortunæ Contemptores; Insuperabiles, & Invicti. Hi duo fulgura, & fulmina belli, vera Fidei, atque Imperii sustentacula, Catholici Orbis solatium, & præsidium, Armorum Decus, & Ornamentum, Belli, Pacisque Arbitri; Hi duo nobis omnes, & omnia. Oh clara Deum Soboles, magnum Martis incrementum! O' chara Deo, ac Cæsari Capita! O' Cæsaris Manus, oculi, & cor! Pugnastis, vicistis, Fortissime WIRICE; EUGENIUS Imperio, tu Imperii Exercitio: ille fato, tu dextera: ille sudore, tu etiam sanguine; Sanguine, dixi; quippe in flagranti conflictu ignita glans cruri impegit tuo, atque altum, sed gloriosum inflixit vulnus, quo nihilominus nec in bello segnior, nec in hostes iracundior factus, non

mo-

moderatus tantùm, verùm etiam mitis adverſus immites victos fuiſti; ratus fortaſſe, parum, aut nihil referre; ſi claudicet pes, modò non claudicet caput, & manus; ſi claudicet victor, modo non claudicet victoria, & fugiat recto pede victus; ſi claudicet glorioſus, modo recta incedat gloria; ſi claudicet (inquam ego, quod magno Duce Ageſilao Lacedæmonii) Imperator, modò non claudicet Imperio Regnum. Oh vulnus! oh Sanguis! oh Cicatrix! ſpecioſa, ſtabilia, immortalia tui valoris, meritique inſignia! Indulſit hoc bonitati tuæ Deus, ut ipſa etiam infortunia accidant fortunata: nulla tutior eſt ad res magnas via, quàm per adverſa. Fortuna, medius fidius, in ceteris inconſtans ſemper, & dubia, dedit hìc certa, & ſtabilia ſuæ ſempiternæ in te obſervantiæ argumenta; ut videlicet cunctis liquidò pateret, Victoriam ab aliis relatam, à te & relatam, & meritam; ut clarum eſſet, potiſſima, atque infallibilia mortis inſtrumenta tibi etiam ceſſiſſe devicta, atque extincta; utque in poſterum quot laturus eſſes gradus, tot eſſes relaturus de fortuna, & morte ipſa triumphos.

In præfatis, Heros glorioſiſſimè, alios; ſed in ſequentibus planè te ipſum quoque inſuperabilem ſuperaſti; Cùm nimirum ſuperatis

ar-

arduis, inhospitibus, ac Pœno Duci penè inacessis Alpium jugis, primum Italiæ, ceu luminosus fortitudinis, & justitiæ sol illuxisti. Quo pectoris vigore cum Gallis ibi conflixeris, qua vehementia inexpugnabilibus eos Castris exueris, qua strenuitate supremum ipsorum Ducem de sua inacessibili statione proturbaveris, ac depuleris, dicant Galli; nam qua formidine, atque admiratione Italiam perculeris, qua felicitate Neapolim ceperis, qua facilitate defensam etiam á natura Cajetam expugnaveris, quaque celeritate Trinacriam, Sardiniamque nutu, Consilioque tuo sub Austriaca juga redegeris, deprædicabunt propediem Hispani; & discent ii, qui excussere jugum, si deposita cervicis duritia, jugo colla submittant, tuæ lenitatis esse, injurias oblivisci; *Quod si quis* (ut Plinianis utar verbis) *eo insolentiæ, furorisque processerit, ut iram tuam, furoremque mereatur; næ ille sive interfuso mari, seu fluminibus immensis, seu præcipiti monte defendatur; Omnia hæc tàm prona, tamque cedentia virtutibus tuis sentiet, ut subsedisse montes, flumina exaruisse, interceptum mare illatasque tibi non esse classes, sed terras ipsas arbitretur.* Enimverò hanc tibi virtus comparavit Majestatem, ut quoquo te agas, quoquo gentium te vertas, quicquid aggrediaris,

ris, decenti virtutum, meritorumque omnium Comitatu, ſtipatus incedas; Fortunam, Victoriam, & Gloriam pediſſequas habeas; anteambulones verò, & Emiſſarios, terrorem, honorem, & amorem præ te feras.

Hæc ſunt præcipua tuæ militaris ſcientiæ, tuæque invictæ dexteræ oſtenta; quæ enim quantumlibet exquiſita facundia enarrare valeat omnia? Deficit profectò citiùs dies, quàm narrandi materies; adeò grandia, adeò decora, & adeò numeroſa ſunt, quæ brevi annorum curriculo perfeciſti; ut neque omnes Imperatores uno ſæculo; neque unus Imperator omnibus æternitatis ſæculis peragere potuiſſet. Jure igitur, meritoque perveniſti per omnes militaris dignitatis gradus ad Eminentiſſimum, unde emicas, faſtigium; quia lento laborum, atque exemplorum gradu, & ſic gravi meritorum faſce onuſtus.

At quo temperamento (Deus bone!) poteſtatem tuam, fortunamque moderatus es! Princeps, & Generaliſſimus imaginibus, ſignis, titulis Imperator; Ceterum modeſtiâ, labore, vigilantiâ miles. Conſilio, Majeſtate, & Caſtrorum diſciplinâ imperaſti; ſed obſequio, lenitate, & comitate paruiſti; & parendo, feciſti te imperandi dignum: Viciſti; at nec victor

Vi-

victis unquam insultavit, nec victi de victore doluerunt; nam sola contentus Victoria, abstinuisti Imperio, absimilis prorsùs iis, qui secundam fortunam imbecillo ferentes animo, impotenter se gerunt. Non potest se continere, quin de iis, quæ in re bellica gessisti, gratetur Sagata Pallas; nequit de his, quæ in civili mirè geris, non gaudere Pallas togata: illa equidem maxima; hæc fortasse videantur majora. Proh mirum! manet tibi summo Principi, ac Proregi, quæ tibi militi, ac privato humanitas, & Comitas; incedebas pedibus, incedis: lætabaris labore, lætaris; & uno verbo, vivebas antiquis moribus, vivis. Eadem omnia illa circa te; nihil ipsa te auctoritas auxit; nihil ipsa te fortuna mutavit.

Liberum est (quod de Trajano Plinius) ingrediente per publicum Principe, subsistere, occurrere, comitari, præterire. Copiam tui facis, non ut imputes; sed ut adjuves. Hæret lateri tuo quisque, accedit quisq; & patet cuique ad te accessus, finemque sermoni suus cuique pudor non tua superbia facit. O' mentem divinitati proximam! ò morum suavitatem mirificam! ò singularem in rebus Bellicis, & Civilibus prudentiam! Triumphas in militari Campo de animis hostium! Triumphas in

po-

politico regimine de animis Civium; utrobique enim regis, & geris rem non auctoritate, sed ratione; non imperio, sed exemplo.

Pervius usque, & cuique, etiam misserculæ, infimæque plebis homini ad te aditus; præbes benignas petitionibus aures, benignos supplicibus libellis oculos. Neminem justitiam postulantem non impertis; nemini clementiam imploranti non indulges; neminem ærumnosum, ac miserum non miseraris; nemini egenti opem, & suppetias non adfers; neminem à potentiori oppressum non protegis, erigisque. Hæc est tua cęlestis pietas, hæc fidelitas, hæc benignitas, hæc in subditos misericordia, & charitas, ut omnibus omnia præstes, & sis, tanquam non tibi, sed nobis natus; de tuis necessariis commodis lubens detrahis, ut servias nostris. Nihil magis tuum credis, quàm quod per nos habes; quàm, quod pauperibus, plenis quotidie manibus, erogas; nihil pensi habens, tuum patrimonium comminui; tuum persæpe exhauriri fiscum: dum egenis; qua clàm, qua palàm subvenias, ac benemerentibus elargiaris. Et quod majus est: ut maxima largissimè præbeas, ita penès te censes, esse omnia, quasi ea plus obtineas. Oh munifica, & suo digna largitore largitas! largiris, Munifice Princeps;

sed

ſed largiris de proprio ; de tuo tuorumque liberorum alimento ; neque inopes, liberique Civium eo, ut ferarum Catuli, ut vulturum pulli, ſanguine, cædibuſque nutriuntur. Hoc eſt accipientibus perquam gratum, quòd ſciunt dari ſibi, quod nemini eſt ereptum, atque enutritis, educatis, locupletatis tam multis, te ſolum depauperari. *Nihil largiatur Princeps, dum nihil auferat: non alat, dum non occidat*. Et unde hoc, niſi quia ex animo, ex ſententia, ex ſolo charitatis, ac munificentiæ amore das, donas? nullam majorem credis eſſe Principum fęlicitatem, quam alios feciſſe fęlices, & quicquid in Cives manat à Principe, in Principem redundare; & redundat quidem; namque id tibi cum immenſa amoris uſura rependitur; quo quæſtu nullum tibi gratius, nullum jucundius; eo enim juvas, quòd nos amas; eo amas, quo ameris, & animitùs, medullituſque amaris; in bello hoc tantùm timuiſti, ne timeres, & non timuiſti; in pace hoc ſolum times, ne timearis; & non timeris; non timemus, Amabiliſſime Patrone; ſed reveremur, & veneramur, Quis etenim bonus filius optimum pertimeſcat Patrem?

Liberalis, & munificus ad extremum es in alios; & quo talis eſſe poſſis, temperans, & fru-

frugalis es in te. Temperans in ornatu; quod est manifestissimum moderati, fortisque animi indicium; non ignarus fortassis auri illius effati Severi Imperatoris: *Gemmas viris usui non esse; Imperium in virtute, non in decore consistere;* hinc cultum adeò nitidum *Superbiæ* (quam tu nec de limine unquam salutavisti) *vexillum, luxuriæque nidum* vocavit Augustus, vel hoc ipso nomine augustior, quo cultu moderatior; ex eo ceteris superior, quia submissior. Et oh quàm veriùs tibi, quàm suo Trajano dixisset Plinius, cum dixit: *Interrogandus videris, an tantas vires habeat frugalitas Principis, ut tot impendiis, tot erogationibus sufficiat? Nam quid est causæ, cur aliis quidem, cum omnia raperent, & rapta retinerent, ut si nihil rapuissent, defuerunt omnia; tibi, cum tu multa largiaris, & nihil auferas, nulla desint!* Nulla desunt; quoniam nulla desunt temperantiæ, nulla frugalitati.

Magnificè parcus es in corporis cultu, moderatè parcus in victu; (quod utrumque in Principe laudabilissimum est.) Semper illius militaris in epulando simplicitatis amicus; Persicorum apparatuum inimicus, semper superbam illam convictus simulationem ægrè perpessus, illum Xersis, & Heliogabali luxum, & gulæ irritamenta aspernatus. Et

cùm lauta, splendida, magnifica, tantoque Principe digna appareant in Aula, domo, mensaque tua omnia, nulla tamen videntur superflua, nulla immoderata, nulla luxuriantia; quia omnia temperat, & moderatur optima rerum omnium mensura; Quam ob rem tè illis Plinius commendavit: *Ergò non aurum, non argentum, non exquisita ingenia Cęnarum; sed suavitatem tuam, jucunditatemque miramur; quibus nulla satietas adest, quando syncera omnia, & vera, & ornata gravitate.*

Ex unde proficiscitur ista tua tantopere eximia adversus subditos mansuetudo, tantopere profusa liberalitas, tantopere fervens charitas? Unde tantum moderata in te, tum corporis, tum animi temperantia, nisi ex eo, quod antiquissima, & prima est tua in Deum, atque in Catholicam Religionem pietas? Ex hoc fonte erumpunt, ex hoc derivantur tot tuarum fluenta virtutum: hinc tàm exemplaris, tàm præcellens in res divinas, sacrasque devotio, & reverentia: hinc tam admirabilis morum gravitas suavitati copulata. Hinc tot, tamque effusa in pium quodcumque opus impendia; hinc tua, universæque Excellentissimæ, Sanctissimæ, & numquam satis laudatæ domus, familiæque tuæ tam continua, & nunquam intermissa re-

rum

tum divinarum, ſacrorum, Sacramentorumque frequentia, Virtus, Sanctitas. Et quod ſpecioſius in te eſt; Vitia tanto averſaris odio, ut, in Aula tua hominem natum verſari, neutiquam ſinas, niſi ſpectata, probataque virtute præditum, Chriſtianiſque moribus apprimè perornatum. Oh ſingularis prærogativa? *Priores quidem Principes* (uno, aut altero excepto) *vitiis potius Civium, quàm Virtutibus lętabantur (in alio enim ſua quemque natura delectat) tu familiares, & amicos, non niſi ex optimis, eligis*. Procul, procul hinc vitiorum colluvies; Procul aſſentatores, familiares, Principum peſtes; nullus hic tibi Palpo palpum obtrudit; nullus te molli ungula ſcalpit; nullus pilos, vel floccos de veſte detrahit; & quis fortiſſimum palpo percutiat? Quis prudentiſſimo blanda det verba? Quis ſublandiatur, ſubparaſitetur? Statim ſubolet ſagaciſſimo captandi voluntas. Fideles, amico, fidelique animo tibi elegiſti domeſticos, & amicos; Fideles apud te habes, quia ipſe fidelis es; amicos habes, quia ipſe amicus es.

Atque hinc etiam promanat in ſubjectos Cives adeò conſpicuum morum temperamentum. Neſcio enim qua intima propenſione (niſi & quandoque ſit larvata adulatio) ad Prin-

Principis vitam aptemus nostram. Quare ex veterum historiis in comperto habemus, semper, & utrobique, ejusmodi fuisse sæculi mores, cujusmodi fuerat Principis vita. Vulgus nihil imitatur libentiùs, quàm, quod à suo Principe fieri, conspexerit. Ad Principis æmulationem nemo non exstimulatur; propterea quod in aliis est error, in Principe flagitium est. Sunt hæ maximæ in Animæ Tuæ medullis infixæ; nulla tibi res est solemnior, & prior, quam, ut religio lætius, latiusque floreat intaminata. Ob id, si quis forte fortuna à veræ fidei orbita latum unguem, seu transversum digitum exorbitans, deprehendatur, malum sibi, jumento suo accersivit maximum; nam aqua & igni interdicitur, & severissimis pœnis, donec ad rectam se reducat semitam, distringetur.

Hæc carptim de tua pietate. Quid dicam de justitia; quid dicam? Et quid aliud dicendum sit, præterquam, quod Tu es ipsamet Astræa? Tu Gnossius Rhadamantus, Tu Minos, Tu Aristides, Tu Phocio, nisi forte his valde justior, & incorruptior. Cum enim sis legum, qua divinarum, qua humanarum observantissimus, quî fieri potest, ut jus suum cuique non tribuas?

Cum

Cum ſis oſor vitiorum acerrimus; quî accidere poteſt, ut flagitia non punias? ut innocentiam ab injuſta vi non prohibeas. Cum ſis contemptor divitiarum fortiſſimus. (quæ Tua eſt magnanimitas): Cum tuorum bonorum largitor ampliſſimus (quæ Tua eſt liberalitas, & munificentia;) Cum ſis exactè ſapiens, cautus, & ſolertiſſimus, (quæ Tua prudentia) quî poteſt unquam evenire, ut aliena appetas, aut malis ſordibus, aut ambitione, gratia, fraudibus varieris? Cum ſis tam innocens vitæ, ſceleris purus (quæ eſt tua integritas.) Cui etiam hebeti in mentem cadat, poſſe a te agi, aut permitti quicquam, quod non ſit à prora ad puppim honeſtum, ac decorum? Quis etiam effrons, & profligati pudoris audeat rem non undequaque probam à te petere, & impetrare, aut poſſit timere? & in ſumma cum ſis tanto timore Dei confixus, tanta morum ſanctitate excultus, tantus boni, & æqui amator, (quæ tua eſt pietas, bonitas, & æquanimitas) quo umquam fato contingat, ut ne æquiſſima lance diſpenſes munera, decernaſque ſupplicia? nullo adhuc tempore contigit, & nullo unquam eveniet; quia nec prece, nec precio expugnari potes, ut ab honeſto deflectas. Cunctos indiſcriminatim amas, cunctos in ſuo

jure

jure conservas: *Aut Tros, aut Rutulus nullo discrimine habetur apud te*. Quamquam divinus animus tuus ad Clementiæ partes propendit, adeò, ut ubi à morte, & sanguine servare non licet, ad sæveræ justitiæ tribunalia Reos tristis remittis, in corde proferens illa Antonini Philosophi apud Dionem. *Absit, ut, me tenente principatum, vestrum quisquam meo decreto capite damnetur*. O' singularem tuam (WIRICE) justitiam! incorruptæ justitiæ exemplar, Idæa, speculum es, & communiter prædicaris. *O' singularem* (ut Eumenii in Constantio utar elogio) *O' singularem tuam*, Pientissime, Princeps, *pietatem, & tua semper officia etiam inter arma servantem, signum receptui dedisti, ut omnibus tibi liceret ignoscere, ne tui quid atrocius facerent, quàm Clementiæ tuæ natura pateretur; nihil est enim tàm perspicuum, quàm in pectore tuo bonitas*.

Gaude tuo isto tam excellenti bono, & fruere cùm fortuna, & gloria, túm etiam natura, & moribus tuis.

Est in te generalis justitia, quia omnes insunt virtutes, est & specialis, & quidem divina, quia Clementiæ sociata: & nunc detexi tuæ altissimæ Sapientiæ scaturiginem; quippè, quod *Anima justi, sedes Sapientiæ est*, ut veritas docet: Inde ortum, *quod alta quadam mente præditus*

(ut

(ut de Pompejo Tullius) divinæ mentis participeps, & consors divini Consilii esse videaris. *Etenim* (ut de Constantino Nazarius) *cum mens tua mortali contagione secreta, pura omnis, funditusque syncera, ubique se promerendo Deo præstet; cum gloria tua humanum modum supergressa sit, quis est hominum, quin opitulari tibi Deum credat?* Merito igitur Sacra Cæsarea Majestas deposuit in manibus Consilii tui liberas suæ militiæ, suique Regni habenas, ratus cum divino Platone, *solos sapientes rerum administratione dignos esse*.

Enituit semper tua meridie clarior in hoc felicissimo Regni gubernio Sapientia; Elucet, & de suo lucet, maxima admiratione digna Prudentia. Elucet, dum tantam rerum molem vasta solus mente sustines, & ita sustines, ut caput tuum nulla unquam mole defessum, nulla defatigatum, vertici Olympi assimile, inter nymborum patriam, inter loca fœta furentibus austris, inter luctantes ventos, tempestatesque sonoras ingentium, innumerarumque curarum, semper placidam, serenam, tranquillam frontem explicet, & exhibeat; ac si omni cogitatione vacuum, & cura liberum sit, O' longo rerum usu duratam prudentiam!

Elucet tanquam divinum oraculum in

minutiſſimis quibuſque prævidendis, providendis, perficiendiſque, ita ut nulla res tibi nova accidat, nulla turbet, ac de ſtatu mentis dejiciat; *& quidem magna laus, meoque judicio omnium maxima eſt ſapienter ſapientis; quicquid homini accidere poſſit, id præmeditari; ferendum eſſe modicè, ſi advenerit; majoris eſt animi, conſilio providere, ne quid accidat; ſed animi non minoris, fortiter ferre, ſi advenerit.* Cic. loquitur, & tu Princeps Providiſſime, probè tenes. Unde velociſſimi ſyderis more omnia inviſis, omnia audis, & undecumque invocatus, ſtatim velut Numen ades, & aſſiſtis; ut tibi dies omnis ſumma cum utilitate noſtra, cum tua laude condatur. Solicitus noctuque, diuque pro nobis vivis, ut nos per te ſecuri vivamus. Tu pro quiete noſtra vigilas, ut nos per tuas vigilias quieſcamus, & nos vice mutua pro tua ſalute ſoliciti ſumus, quia per ſalutem tuam ſoliciti eſſe deſivimus.

Eminet prudentia tua in prudenti bonorum, graviſſimorum, fideliumque Conſiliariorum, tum Collateralium, tum ceterorum electione, aut promotione; quorum conſiliis ſaluberrimis, ſubordinata propria auctoritate, poſtpoſita propria ſententia, ac depoſita philautia, modeſto, placido, & æquabili animo obaudis,

& ac-

& acquiescis; non enim, te præterit, *omnia regna, cunctasque nationes usque eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt*. Sall. Unde Alexander rogatus, quonam modo brevissimo tempore, totius Orbis imperium obtinuisset; respondit: *Consilio*, siquidem (ut egregiè more suo Cicero) *non viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur; sed consilio, auctoritate, & sententia*.

Splendet prudentia tua in provehendis optimis, doctissimisque Magistratibus, Judicibus, ceterisque Ministris ad tribunalia, tàm suprema, quàm inferiora hujus Urbis, & totius Regni: Tùm in promovendis ad officia, & munera hominibus dignis; tùm ad publicorum studiorum Universitatem emeritæ virtutis Viris; denique ad dignitates, & honores ceteros litteratis, omnibus calculis, absolutis. Hinc te Austriaci Monarchæ vices in Neapolitano Regno gerente, florent ad miraculum in Tribunalibus leges, floret erudita juris scientia, & prudentia, viget, & triumphat justitia: florent sub institutoribus omnigena eruditione refertis tàm celeberrimum Athenæum Regium, quàm privata; unde florida in litteris adolescit juventus ad capessendum ingenii cultum certatim incitata. Floret qua-

ſacris, qua profanis ſtudiis eruditus ſacer Clerus, floret unaquæque Religio, & in tota noſtra Urbe illuſtriſſima, atque per totum Regnum virtutis ſtudia refloreſcunt. Eccui, niſi prudentiæ tuæ tantas tranquillitates, tantas bonorum, & doctrinarum copias referamus? Quæ enim tua cura, & ſolicitudo, qui inſtar ſerpentis heſperidum hortorum Cuſtodis, dies, noctesque pervigil à ſalutis, & incolumitatis publicæ ſcopo oculos non deflectis? ne in tanta temporum difficultate, armorum ſonitu circum ſtrepente, Regni tui præſtans, & efflorens fortuna labefactetur, neve ſubditorum tuæ curæ commiſſorum commoda minuantur; ſed ut quantum hujus tempeſtatis diritas permittit, illi ſint beati, nulli ſanè Regnorum cultoribus inferiores, & ſecundi; Cujus rei ecquod luculentius argumentum eſſe poteſt, quàm quod in oneribus, quæ neceſſitates publicæ, & temporum exigunt, imponendis, deſcribendiſque, tanto animi æſtu, tanto irrequieti mœroris euripo exagitaris, ut ne chari ſubditi graventur? & ubi urgentiſſimæ neceſſitatis telum eludi nequit, tanta verſaris ſolicitudine, ut gravamina ipſa quàm minimùm gravent, & æquabiliter tolerentur? Collaterale Conſilium te rum, iterumq; convocas, Conſulis, conſul-

tas,

tas, experiris, ſumma ope niteris, nullum non moves lapidem, non quo Cives graventur; ſed quo non graventur; non quo onerentur magis, ſed quo releventur. In his ſole ſplendior emicat tuus paternus amor, tua germana fidelitas, & humano intellectu incomprehenſibilis providentia.

Emicat; at in quo non emicat? tàm exterminato lucis Oceano in rebus omnibus bellicis, & civicis reſplendet, ut omnem perſpicaciſſimæ mentis aciem retundat, hebetet, & penitiſſimè obruat.

Tanto lumine fuſcata Pallas ipſa ceſpitat, & cecutit ita, ut in ipſo tuarum virtutum limine hærere cogatur.

Hæret Minerva, & ipſa rerum luce, & copia circumventa, quâ potiſſimum via ineunda ſit ad ſtupenda ingentium virtutum penetralia, quâ fiat aditus incertum ſibi eſſe confitetur; tam ſe infinita propè offerunt pari ſplendore, micantia, & pari magnitudini congruentia; Hæret caligans in tuorum geſtorum veſtibulo, aliiſque ad radiantem tuorum meritorum palatium ingreſſuris januam gratando reſeraſſe contenta eſt. Ingredientur alia Aquilina lumina, quæ penitiora, atque altiora tuæ magnificentiæ, magnanimitatis, ceterarumque

ma-

majorum cubicula lucidissima acie interrita introspiciant, & contemplentur.

Et enimverò quæ aurea eloquentiæ vis? quis purissimus scribendi stilus te totum intus, & in cute valeat adumbrare, nedum discretè, & qua, par est, dignitate depingere?

Tu Heros Invictissime, es in utroque Cæsar; & in negotio bellico, & in politico; & in publico, & privato; ut absque invidia tibi à Triboniano tribuendus sit, quem Justiniano Imperanti adscripsit, Antiphorismū; *Tu enim vere es armis decoratus, & legibus armatus.*

Tu acer, & lenis; justus, & clemens; gravis, & simplex; Munificus, & temperatus; Magnificus, & suavis; Severus, & hilaris; solicitus, & securus; Victor, & continens; Princeps, & popularis; Summus, & humilis; Tu pius, Tu prudens, Tu sapiens. Tu in unum virtutes omnes miro inter se fędere complexas, in te uno stringis, & stringeris; ut bona fide te, in Trajano suo expressisse Cecilius videatur; cùm scripsit: *Emicuit aliquis bello; sed obsolevit in pace: alium toga; sed non arma honestarunt: ille terrore, alius amorem humanitate captavit: ille quæsitam domi gloriam, in publico: hìc in publico partam, domi perdidit. Postremò nemo adhuc extitit, cujus virtutes nullo vitio-*

rum

rum confinio tenerentur ; At Principi nostro tanta concordia , tantusque concentus omnium laudum , omnisque gloriæ consistit , ut nihil severitati ejus hilaritate ; nihil gravitati simplicitate ; nihil Majestati humilitate detrahatur. Oh divine WIRICE, ò Principum prodigium ! ò fortunæ contemptor ! quia solius virtutis æstimator, & debitor ! Oh victor hostium , victor tuorum militum , victor subditorum , victor omnium ; quia (quæ major omnium victoria est) victor tui ipsius .

Vicisti in bello ; verum victorias non fortunæ ; sed virtuti debes . Tua *Constantia* bella atrocia , & periculosa suscepit : *Patientia* immensa itinera, aeris injurias, vigilias, labores, incommoda semper armata , semper jejuna toleravit: *Prudentia* partita est mentem, & multiplicavit arte terrorem: *Fortitudo* millies cum hoste conflixit, semper vicit ; quid ergo debes fortunæ ? Virtus te sibi constituit : tu tuam tibi statuisti fortunam : Fortuna tua , qualis Romana à Plutarco depicta , & si nihil perpetui solita sit præstare , perpetuum tibi præstabit obsequium , perpetuum domui tuæ decus . Semper in media domo tua sedebit æqualis ; quia virtuti subjecta . Errant qui dicunt aliquid valere fortunam ; valentior omni for-

tuna

tuna animus, & virtus eſt.

A virtute, à virtute didiciſti, ut vincere dumtaxat ſcias, vinci neſcias. Virtus tibi peperit meritum; Merito parum eſt, famam, & gloriam tibi peperiſſe; ad altius te, tuamque proſapiam invitat, & manet honorum culmen; ut quod ab Avis, & parentibus accepiſti depoſitum, immensè auctiùs, & cumulatiùs ſis filiis, & Nepotibus redditurus.

Oppugnaſti, & Caſtra, & Urbes; primus Vallum, & Murum aſcendiſti, & expugnaſti: Propugnaſti; ab obſidione hoſtes repuliſti, Urbeſque, Civeſque liberaſti; Semperque re benè, fortiter, fęliciterque geſta, triumphator, etſi non triumphans, te, tuoſque milites incolumes, & ſoſpites, & Victores domum reduxiſti. Itaque obſidionales, & Caſtrenſes aureæ; Murales gramineæ; Civicæ quernæ, aut ilignæ; & triumphales Laureæ, quas tu humilitatis amore deſpexiſti, Gloriæ manu ſuſpenſæ impendent ſemper Capiti tuo Corona digno Coronæ, te, tuamque nobiliſſimam domum perpetuò coronaturæ.

Palmæ, quas per univerſæ Aſiæ, & Europæ Campos Victrici, & numquam victa dextera demeſſuiſti, lauri, quas enſe glorioſo recidiſti, & in mergetes, manipuloſque coactas

ab-

ábjecisti ; quoniam immortales, ubique locórum in magnam, æternamque revirescentem segetem suppullulabunt, & succrescent, immortalem Excellentissimæ Dauniæ Familiæ messem gloriæ pollicituræ.

Ah quoties; ah quot in locis hostem fugæ dedisti! Cur nullibi erexisti trophea? Ah quot gesta memoriæ semper duraturæ meritoria patrasti! Cur nusquam æquestres, ac pedestres positæ tibi statuæ? Nusquam decreti, paratique triumphi? hæc omnia utpote quæ temporis diuturnitate collapsura, despicatui, & contemptui tua habuit Magnanimitas, vel Modestia; & consulto quidem Consilio; namque quot sunt, quot erunt hominum corda, tot fama tibi statuit simulacra; tot posuit trophæa, perenniora marmore, & ære monumenta: ut usque dum vixerint homines, eousque in eorum animis de mortalitate triumphes.

Triumphas de animis nostris, re etiam pacata. Vicisti, & vincis. Scin queis armis? Amore, pietate, charitate, comitate, liberalitate, justitia, æquitate, clementia; fidelitate, animi candore, cæterisque virtutibus, & beneficiis, istis armis devicisti, & devinxisti tibi omnes, & præ omnibus,

Me omnium minimum ; quem præterquam , quod pura puta benignitate tua, non indignum habueris , cui Tuos Excellentissimos Filios humanioribus litteris instituendi Provinciam demandares ; (quod mehercle honorificum est) innumeris in dies ornas , & cumulas beneficiis ; (quod honorificentius) & paterno me dignaris amore ; quod dubio procul puto , honorificentissimum.

Quapropter Te etiam atque etiam rogo , & obsecro , ne Palladem , ejusque rudem , & indigestam gratulationem , quamquam Te minus dignam , dedignere ; fateor, ingenti merito tuo nimis impar , pauxillulum esse munusculum ; Maximum tamen obligationis , & gratitudinis meæ testimonium.

Excipe pacato Princeps Germanice vultu
Hoc opus , & timidæ dirige navis iter.

Quod reliquum est ; Ego pro Excellentiæ Tuæ , totiusque domus , Familiæque incolumitate , incrementis ; & salute incessanter vota faciam ; Deumque assiduis precibus fatigabo , ut pro æterna Augustissimæ

Au-

Auſtriacæ Domus fęlicitate, ac bono publico, te, tuoſque omnes æternum florentes ſoſpitando, fortunandoque mea ſecundet vota.

Dat. Neap. IV. Kal. Novemb. ab Æra Redemptionis. MDCCXVIII.

Humillimus, Obſequentiſſimus Famulus
Jo: Antonius Sylveſtri.

f 2

LECTORIBUS S. P.

CUm primùm animum ad ſcribendum appuli, id mihi negotii credidi ſolùm dari, *Eruditis ut placeret ; rudiores verò erudiret, quod feciſſem opus ; cùm enim quicquid pro publica re in lucem editur, univerſis aliquo jure debeatur ; neque boni viri partes, neque animum meum expleviſſe unquam mihi viderer ; niſi hoc novo opere cunctis aliquem ſive jucunditatis, ſive utilitatis fructum attuliſſem. Et quidem omnibus pro mea virili feciſſe ſatis judico, ſi quod habui ſummum laborioſæ meæ plurium annorum operæ pretium perſolvi ; univerſam ſcilicet rem Grammaticam ad ſua primordia reductam, ſeù per ſuas cauſas explicatam ; atque in quatuor libellos diſtributam ; & ut præcepta ejus ex ſe inſuavia, & tyronibus præſertim exoſa, quodam veluti numerorum mulſo dulcata pueris propinarentur ; & hac arte faciliùs tenella mente imbibita, altiùs memoriæ inhæreſcerent, (natura enim numeris oblectatur) verſibus priùs ad puerilem captum accommodatis, & ſubinde in proſam, ſeu proſaticam orationem reſolutis ſingula exhibere, non ab re viſum eſt ; & propter id Pallas latina ſub Apollinis perſona inſcripta eſt.*

In primo igitur libro, Orthographico, Egi

de

de litera; vel de veteri, & nova Scriptura; ubi etiam arrepta ansa de Græcorum dialectis, è quibus, credere est, Latinos hausisse suas; unde Latina lingua tot, tantasque de ætate in ætatem passa est in suis vocabulis mutationes, quorum racemationem, & spicilegium à recentioribus Grammaticis, non sine magno posteritatis detrimento, neglecta, & post se derelicta, improbo labore meo ex venerandæ vetustatis fundis in parvum Canistrum, & fasciculum recollecta vobis offero; & quæ hucusque fuerant perpaucis studiosissimis peculiaria, facio in posterum omnibus communia. Omnia tamen sapientium censuræ, & calculo submitto; quippe in animo nunquam habui; ea tanquam certissima venditare; sed rem ad historiam revocando, propemodum abditas latinitatis origines penitiùs introspecturis faculam dumtaxat prælucere. Quod si forte fortunâ quis de Stoa, aut de Pyrrhonis Schola me nugas garrire, & fabulas fabulari objectaverit; quoniam de lana (ut dici solet) caprina rixari non lubet, ita rem esse ajo; gaudeo tamen, hac hominum ætate, in qua omnigena Eruditio, ex antiquitatis ruderibus, ubi jamdudum à Barbarie sepulta jacuerat, fermè eruta, câput extulit, me auritis, & non surdis fabulas enarrare; Quin & noctuas Athenas afferre. Non demirari autem nequeo, quo pacto mo-

do

do tàm confidenter in dubium, ac disceptationem revocari possint ea, quæ præterquam, quod apud priscos uniformiter scripta reperiuntur, exactissima lexica, & Veteres Grammatici, Festus, Varro, Diomedes, Charisius, Caper, Donatus, Servius, Terentianus, Veliuslongus, Victorinus, Cassiodorus, Scaurus, Fabius, Nigidius, Annæus Cornutus, Papirianus, Agrætius, Cledonius, Priscianus, &c. & recentiores, ut Fridericus, Silburgus, Laurembergius, Alicarnasseus, Erasmus, Lypsius, Scioppius, Voxius, & Antonius Augustinus, cæterique Viri emunctæ naris, & de Re Litteraria optimè meriti, pacificè agnoverunt, & litteris demandarunt, istius ergò duram cervicem ad vetustissimos lapides mitto.

In secundo libello Prosodiaco, de Syllaba, ejusque qnantitate, & Accentu; Tum de Figuris metricis, pedibus, Versuumque generibus pertractavi, ea sanè ubertate, ut nihil, aut parum desideretur.

In tertio Etymologico, de Partibus Latinæ Orationis, earumque accidentibus, & variis per tempora mutationibus; ubi pleraque nova, & ab aliis non tacta, ideoque curiositate digna præcipuè, quæ circà præpositionum rectionem, deprompsi.

In quartò demum Syntactico de Latini Sermonis Constructione, novo quodam ordine ad perpaucos Canones redacta: Enimvero quantum ad docendi rationem, à novorum Grammaticorum Methodo li-

benter

benter recessi; Veterisque Græcorum, primorumq. Latinorum adhæsi; quod antè me gelu rupere ex recentioribus singularis Eruditionis Litterati, Gherardus Vossius, Sanctius, Scioppius, Perizonius, Mariangelus à Fano, & politissimus Auctor de Portureali; & non immeritò; nam hæc est via non longa, non latebrosa, non prærupta, non amfractuosa, non salebrosa, non senticosa, non scruposa, non ardua, & intellectibus etiam alatis penè invia; sed compendiaria, luculenta, plana, æqua, lata, tuta, & quam intellectus etiam tenelli, atque implumes possint nudis quoque pedibus calcare, insistere, inire, & brevi tẽpore, facile, ac ferè nullo negotio percurrere, atque optatã, destinatamque metam citò pertingere; nimirùm, latinè scire, tutò, eleganterque scribere, loqui, Auctores qua veteriores, qua recentiores perspicuè intelligere, examussim interpretari, ac traducere; & uno verbo, latinam linguam funditùs à capite ad calcem callere; quæ omnia (ni fallor) probabit eventus; si doctus ludi Magister fecerit periculum. Ceterum sicubi pugnaci stilo scripsi, si quid inter scribendum lepidulè lusi, ingenuè profiteor, ad legentium animos elevandos, atque exhilarandos; haud verò animo ullum scommate, aut sarcbasmate pungendi, sugillandi, vel offendendi factum esse; Etenim unicuique fasces suppono, & hastam abjecit Pallas, Excellentissimum Comitem D. Leopoldum de Daun in primis; deinde

re-

reliquos adoleſcentulos præceptis inſtructurâ, non dimicatura in medium prodiret. Quid? ſi quid (quod humanum, eſt) Erravi; Si quippiam indigeſtum, aut tumultuarium emiſi; Homo ſum; humani nihil à me alienum puto. *Huc accedit, me gravioribus diſtentum occupationibus, intra trimeſtre ſpatium raptim, carptim, furtim, hinc amicis, inde Typolego urgentibus, hujuſcemodi opuſculum in conſonantiam redegiſſe, & inconcinnè concinaſſe; quapropter venia me dignor.*

Poſtremò ſi quid ab aliis actum egiſſe, & rotolata (ut vulgo dicitur) rotolaſſe, aut aliquid nimis novum, aut nimis vetus audacter attuliſſe, quibuſdam videar; meam vicē, precatorem, reſponſoremq; ſubſtituo ſenem Comicum in Eunuchi prologo dicentem:

Nullũ eſt jam dictum, quod non dictũ ſit prius.
Quare æquũ eſt, vos cognoſcere, atq; ignoſcere,
Quæ veteres factitarunt, ſi faciunt novi.
Date operam; & æqua rationis lance perpendite, & animadvertite.
Ut pernoſcatis, quid ſibi Pallas, velit.

& bene valete; dum ego vos in meam fidem recipio, quod ſi quicquam mea induſtria vobis placui, aut profui; Maximum meorum laborum fructum tuli; iterum valete.

DE

DE RE LITERARIA

LIBER PRIMUS.

De Veteri, & Nova Scriptura

Ad Excellentissimum Comitem

D. LEOPOLDUM DE DAUN.

Dum, LEOPOLDE, studes sermonem nosse latinum;
Atq; Italos canones, queis prenditur Itala lingua;
Quæ tibi præscribo, dona paradigmata menti;
Quîs sine nemo Italas, Latiasque agnoscere normas
Jure potest. Italæ, & Latiæ hæc sunt dogmata linguæ,
Quas tu ritè colis, (1) Polyglottos gentibus ut sis;
Atque Deum valeas vario sermone fateri.
Quò breviùs possis utriusque addiscere Leges,
Carminibus doceo, quæ sunt discenda juventæ.
Insuper addo notas. Majorum dicta recense,
Quæ possunt mentem justa ratione movere.
Eja Puer generose, HEROUM clara propago,
Fac teneas animo, quæ sunt dicenda deinceps.

(1) Vir plurimarum linguarum callidus.

Principio quid Grammatica, & subjecta monebo;
Deinde notas, casusque earum pro tempore tradam.
Grammatica est Ars, quæ bona dat præcepta loquendi.
Dicitur ista benè, emendatè ut quisque loquatur:
Hæc subjecta sibi sunt, Litera, Syllaba, Voces.
Gramma soni est individui comprensio; Verùm
Bis dena enumerant Latii sua grammata Patres:
Omnia cum certis formant distincta figuris. (2)
Et ternas gaudent grajas miscere latinis. (3)
Duplex: hæc vocalis; consona dicitur illa.
Hæc ex se sonat: huic resonat sed consona juncta.
Vocales sunt quinque, A, E, I, scilicet, O, U.
Vocibus Y Danaum solùm reperitur Achivis.
Consona, quæ sequitur, sed cetera turba, vocatur.



De

(2) Idest A,a,B,b,C,D,E,F,G,H,I,K,L,M,N,O,P,Q,R,S,T,V,X,Y,Z.
(3) Sc. X, Y, Z.

De Literarum Accidentibus, sive de Veteri, & Nova Scriptura.

1. *E pro A, I,* 2. *aut O,* 3. *quondam est usa vetustas.*
4. *I pro E, A,* 5. *U,* 6. *Y* 7. *prima protulit ætas.*
8. *O pro A, E,* 9. *U,* 10. *I* 11. *sæcula prisca tulere.*
12. *I pro E, I,* 13. *aut O,* 14. *sive Y* 15. *ante ferebant.*
16. *Ævo etiam pro B. scripta est V. consona prisco.*
17. *Y psilon & græcum pro U. vocale repostum.*

1. E. pro A. Plaut. Trin. II. 4. *Æquiperabiles*, pro Æquiparabiles. Cic. *Escendere* pro rostris. Plin. *Escendere* Equum, pro Ascendere.
2. E. pro I. Enn. lib. 1. Annal.
Juno, Vesta, Ceres, Dejana, *Menerva*, Venus, Mars, pro Diana, Minerva, Plaut. Capt. Istos Captivos duos *here*, quos Emi de præda. pro heri.
In XII. tab. Pelex. Asam Jounonis ne tagito, si tagit Jounoni *Crinebos* demisseis Agnom fœminam cædito; pro Crinibus.
3. E. pro O. Enn. Annal. 2.
Vulturus in sylvis miserum mandebat *hemonem*, pro hominem.
4. I. pro E. Cic. de fin. Animam illi pecori datam ne *putisceret*, pro putesceret. & Epist. ad Calvum: Tuli molestè, quòd literæ *delitæ* sunt mihi a te redditæ, pro deletæ.
5. I. pro A. Plaut. Amphitr. ut subito, ut validè, ut properè *tonit*. & ibid. quàm validè *tonit*. pro tonat. Varr. Eumenid.: Tibi tympana, non inani sonitu, Dea, *tonimus*, pro tonamus. Cic. ad Varron.: Cura, si me amas, ne ego, te jacente, bona tua *comedim*,

pro comedam. Pompon. Prostibulo: Ego quæro,quod *edim*. pro edam; & passim Plaut.

6. I. pro U. Festus: *plisima*, pro plurima.

7. I. pro Y. ut *lacrimas*, *Sidus*, pro lacrymas, sydus. Priscian. lib. 1.

8. O. pro A. *Fovii*, *Poter*, *Ponem*, pro Fabii, Pater, Panem. Sciopp. in Orthopeja. Vestphali, & Bavari dicunt: *Poter* da mihi *ponem*. Norbert. Norisius: *Toxicum*, pro taxicum à Taxo arbore Archadiæ.

9. O. pro E. ut *Amplocti*, pro amplecti. *Advorsum*, pro adversum. *Animadvorti*, pro animadverti. *vostra*, pro vestra. Terent & Plaut. sæpissimè.

10. O. pro I. Enn. lib. 2. Ann. *bemonem*, pro hominem, ut suprà. Nævius Punic. lib. 1. Qui terræ Latiæ *bomones* tuserunt: Idem Lycurgo: Oderunt Dii *bomones* injuriosos. pro homines.

11. O pro U. Enn.

Quei rem Romanam, *Latiomque* augescere *voltis*.
Quom neque Musarum *Scopolos* quisquam superarat.
Quamquam *molta* manus ad Cœli *Cærola* templa.
Veluti *Consol*, *quom* mittere signum *volt*.
At *Romolu' polcer* in alto quærit Aventino.
Hos delibatus *popoli*, suadæque *medolla*.
Heu quàm crudeli condebat membra *sepolcro*.

12. U. pro E. ut *legundum*, *ferundum*, *repetundis*, pro legendum, ferendum, passim apud Scriptores, & in Pandect communi *dividundo*, & familiæ *erciscundæ*. pro dividendæ, erciscendæ. & Titin. Fullonib. Nec *noctu*, nec *diu* licet fullonibus quiescant, pro nocte die.

13. U. pro I. Enn. Eumen.: Tacere, opino, *optumum* esse,

esse, & pro viribus sapere. pro optimum. Plaut. Curcul.: Eodem hercle, vos pono, & paro; *parissumi* estis hibus, pro parissimi his. sic *Maxumus* &c. Salust.

14. U. pro O. Inscriptio Prænestina: Exempl. Decret. Q. F. Q. Junio Silano, & L. Septimio Valeriano Coss. Postulante Claudio Marone, uti *lucus* ad statuam ponendam optimæ memoriæ viro quondam filio Aeli Augusti lib. Anatellon Amantissimo Reip. nostræ placuit, & in honorem Anatellontis semper & ubique de Rep. opt. mer., & in gratiam Claudi Maronis *lucum* ad statuam ponendam ad electionem ipsius arbitr. dare. lucus, & lucum pro locus, & locum. Enn. lib. 7. ann.: Rurescunt *frundes*, pro frondes. Lucr. lib. 4. *Cumes* insequitur. pro Comes.

15. U. pro Y. Livius Andron.: Quom socios nostros mandisset impiu' *Cuclops*. pro Cyclops. Enn. lib 1. ann.. Musæ, quæ pedibus magnum polsatis *Olumpum*, pro Olympum. Idem: *Eurudice* prognata, pater quam noster amavit. pro Euridice. Idem. - tibi fert Deu' funera *Ulussis*, pro Ulyssis.

16. V. consonans pro B. in Pandect. Floren. *Vobem*, pro bovem. In L. Eum. 23. §. ult. ff. de usurpat. *Venignior*, pro benignior. In antiquo marmore Romæ ad D. Petri, & Marcellini.: T. P. Cosmo Conjugi *incomparavili*, & T. P. Chretto filio dulciss. pro incomparabili &c.

In alio in Aedibus Auli Delphinii- Undis. Cyaneis. donum *placavile*, pro placabile.

Ibid. ΠΑΤΗΡ ΧΑΙΡΕ. D. M. Aurelius Diogeneti Sacerdoti *venemerenti*: i. Benemerenti. Ibid. Ad D Gregorii: Antio L. Ronio. Curatori. Viæ Salariæ. Curatori. Reip. *Urvinatium*. pro Urbinatium.

In

In Decreto Neapolitano. L. Munatio ; Concessiano. V. P. Patrono. Coloniæ. pro meritis. ejus. erga. Cives. magnifica. Largitate. olim. honorem. *devitum*. præstantiss. viro. præsens. tempus. exegit. &c. devitum, pro debitum.

V. Consonans, alteri vocali & puro adjectum, productionis est nota. Enn. ann. 8.

Adnuvit se se me cum decernere ferro. & si quis me *fuvit* humanitùs, ut teneatis. lib. 2. Nos sumu' Romani, qui *fuvimus* ante Rhodæi. l. 19. Contempsit fontes, quibus *exaruvit* aquæ vis lib. 1. Nam Latii populi res, atque poemata nostra *cluvebant*. (i. cluebant) ibid. Saturnus, quem coelu' *genuvit*. lib. 7. Magna cum lapsu' diei Parti *fuvisset*. Lucil. Satyr. lib. 30. Quod *tuvas* laudes culpas, non proficis hilum. Plaut. Amph. Hæc ut me voltis Adprobare *adnuvere* ; & Illico jubet equites dextera *irruvere* ibid., & Asin. Tot reddit spurcas, quot puras *habuverit*. & in Poenul. Quo genere gnatus, qui parentes *fuverint*. Lucret. lib. 2. Nam quod *fluvidum* est è levibus, atque rotundis. Auson. Dinochores quadro *cuvi* in fastigia cono.

17. Y. pro U. Velius longus: Prisci dixere *Cyparisson*, pro Cupressum *Kyberneten*. pro gubernatorem, Sciop. Orth. *Cyminum*, pro Cuminum.



De

De Positione duarum Vocalium vice unius, & unius vice duarum.

Simplice pro A, 1. duplici Veteres scripsere Maater;
Sic pariter pro E. 2. simplice, duo tribuere beelo.
U. Duplici 3. dicebant, quae mox scribimus uno.
4. *Ae quoque, pro E, conscripsere in vocibus ullis.*
5. *Pro I, E, Y; Oe, & Ei Prisci ferre solebant;*
6. *Atque etiam oe, oi, ou, pro U, ut oitier, oetile, louci;*
7. *Contra tamen simplex pro bina; ut femina, fenus.*

1. Aa, pro A. Sciopp. in Orthop.: μητὴρ latini extulerunt *Maater*. (pro quo hodie Mater.)
2. Ee, pro E. Idem: Ex quo Latinis prius *Beelare*, pro Balare. In XII. tab. Ex. hac lege. Viator. Lectus. Erit. Si. rempsque. *Eeis*. praeconibus. pro Eis, vel iis.
3. Uu. pro U. Mariangel. à Fano in Auctar. Veteres dixere, *pluus*, pro plus, *secuus*, pro secus, *Comitatuu*, pro Comitatu, &c. Frideric. Philber. de Veteri Script. Rom.
4. Ae, pro E. Lucret. lib. 6.

Quâ calidum faciunt Aquæ tactum; atque saporem *Coaequaetur* - pro coaequetur.

In l. XII. tab. Ex. ponderibus. publiceis. quibus. hac. tempestate. popolus. oetier. solet. uti. *coaequaetur*. se. dolo. &c.

In lege Fabia Roscia de re agraria, ex lib. Hygini de liminibns: Quo in loco terminus haberit, sei quis in eum locum terminum restituere volet S. M. & sine fraude sua liceto facere *nevae*. quid cui his. ob eam rem hac lege damnas esto. *nevae*, pro neve. sic etiam

En-

Encliticas; *quae*, pro que, *nae*, pro ne, Veteres scripsisse censeo.

5. Ei, pro J. longo. In XII. tab. Tribunus - que. patribus. *Sibei*. plebes. rogarit. Jous. Estod. cum patribus. *agendei*, &c. pro sibi agendi.

In lege de ponder. Ex ponderibus *publiceis*, pro publicis.

Lucil. Satyr. lib. 9 *Meile* hominum, duo *meilia*: item apud eumdem; *meiles*, *meilitiam* : *Peila*, *mendacei*, *furei*, pro Mile, Milia, (hodie mille, millia) miles, militiam, pila, mendaci, furi. Plaut. Aulul. Agri reliquit *Eii* non magnum modum. & in tumulo, posuit Petronio Antigenidi, Hiarus, Bis quinos annos, mensesque duos, duo Soles in Superisque *fuei* tenerè nutritus, amatus. pro fui.

Oe, pro E. In Elogio Decii Imper. Scalpto Feltriæ Venetorum Urbis: Pio, *Foelici*, &c. pro Felici.

Oe, pro I. Festus; *Loebesum*, & *Loebertatem*, pro liberum, & libertatem. Id. ab *Oloes* dicebant antiqui, pro ab illis; *Pilumnoe*, *poploe*, pto pilumni, popli. in Carmine Saliari sunt Romæ. In Veter. libr. Terent. legitur, *Adelphoe*, pro Adelphi, & in Prologo Casin. Plauti, *Clerumnoe*.

Oe, pro Y. Maxim. Victorin. *Hoelas*, & Hylas, sono haud fere quicqnam differre.

6. Oi, pro U. In Sacrariis Argetrum: Oppius. Mons: Primicupes. lucom. Esquilinom. lucom. Fagutalem. Sinistra. Sub *Moirum*. est. pro Murum. In XII. tab. Eidem ad plebem. quod: *oisus* Erit. ferunto, pro usus.

Oe, pro U. In lege de ponder Quibus hac tempestate *oetier* solet, pro utier, i. uti. & In xii. tab. Molieres.

genas,

genas. ni. radunto; nive. lessum. *foenoris*. Ergo. habento. pro funeris. Lucr. lib.6.

Poenibat paulo post turpi morte, malâque
Desertos. pro puniebat.

Plaut. Trinum. Amicum castigare ob meritam noxiam, *immoene* est facinus .i. immune.

Ou, pro U. Ex tumulo Claudiae: *Sovom* mareitom corde deilexit. sovo. pro suum, suo. In XII. tab. Sei. *loucei*. fortom. faxit. teloque. se. praehendier. prohibesit. sei. im. Quips. occisit. *joure*. Caisos. Estod. pro luci, & jure. & in formula devotionis in fine: Diveis *manebous*, *tellourique* devoveo. pro Manibus, telluri. Liv. lib.8.

Ae, pro Oe. In Mediceo codice Virgilii lib. 4. v. 3. Solane perpetua *maerens* carpère juventa? pro moerens.

Ai, pro Ae. Lucr. lib. 3. sponte sua volitent *aiterno* percita motu. pro aeterno. & ibid. Omnia per fructus *vitai*, *praimia*, *mairet*. pro vitae, praemia, moeret.

In Fastis Capitolinis – *Aimilius*, *Ailius*, *Caisar*. pro Aemilius, Aelius, Caesar. &

Enn. Ann. 16. Reges per Regum statuasque, sepolcraque *quairunt*. pro quaerunt.

Oi, pro Ae. Plaut. Menaechm. Ego mihi illhìc hodie apparari jussi *proilium*, hodie ut fieret; in eoque *proilio* potabimus. pro praelium, praelio.

Oi, pro Oe. Lucr. lib. 2. Quod tamen ut possint ab *coitu*, Concilioque. Nil facient, praeter volgùm, turbamque animantem, pro coetu.

7. E, pro Oe. Justin. lib.41. cap.3. Quamobrem *feminis* non convivia tantùm virorum; verum etiam conspectum interdicunt. pro foeminis.

E, pro Ei. Lucil. lib. 7. Qui te diligit, ætati, *facieque* tuae se fautorem ostendat fore amicum. pro faciei tuæ. Et Virgil. 1. Georg. Libra *die*, somnique pares ubi fecerat horas. pro diei.

I. similiter pro Ei, in tabula Ancyrana pag. 607. In Epitaphio: Viximus; hìc *omnis* exitus unus habet. pro omneis, hodie omnes. & pag. 950. Adfectus *Omnis* possidet iste lapis.

I. pro Ae. est apud Lucil. Satyr. Quo facetior videare, & scire plusquam ceteri *pertisum*, pro pertaesum.

I. pro Ie. Claudius Annal. lib. 15. *Grundibat* graviter pecus suillum. pro grundiebat, hodie grunniebat.

U. denique pro Ui. Lucil. habet in Satyr. *Anu* noceo. pro Anui.

De Positione unius Consonantis loco alterius.

Vocibus in multis 1. B. pro V. Consona habetur
2. C. pro G. K. Q. veteres posuere Latini.

1. B. pro V. Consonanti, in antiquis marmoribus Romae in hortis Fabiniani montis:

D. M. C. *Ambibius* Hymnus Fec. Petroniae; pro Ambivius. Ibid. Ad Cloacam D. Luciae: *Batinia* Priscilla Nymphis sacrum. pro Vatinia. & ad D. Agnetis extra moenia: *Sebera* Rufiniano Venemerenti fecit. pro Severa. & ad D. Angeli in foro piscario: D. M. Aelia Aquilana, se *viba* sibi fecit. pro viva.

B. autem Euphoniae causâ mutatur in U. in Compositione, ut *Aufero* ab antiquo abfero. & in compositione

ne litera B. ſonum habet confuſum fermè cum P., uti *Compono, impono, imbuo. &c.*

2. C. pariter in pronunciatione confunditur cum ſono G. K. Q. ut *Angelus, Kalendas* , *Quando*. Qua de re in nonnullis vocibus apud veteriores reperitur loco earum; ut *Acetare*, pro agitare; *Necotium*, pro negotium; *Cabinio*, pro Gabinio; *Lece*, pro lege; *Acna*, pro agna, *Cycnus*, pro cygnus; *Calo*, pro *K*alo; *Cotidie*, pro Quotidie &c. Namque antiquioribus ſæculis non dum erant in uſu G. Q.

Norbert. Noris. Ex antiquiſſima Duilianae Columnae inſcriptione poſita A. U. 494. diſcimus eo ſeculo literam *G*. non dum apud Romanos fuiſſe, neque Conſonantes geminatas, & literam *D*. in fine quarundam vocum poſitam, ut *Leciones*, pro Legiones; *Marid*, pro Mari &c.

Stercilinium, habent libri veteres Catonis de Re Ruſt.

In libello Velii Fidii Romae: *Cuom* ante hos dies conjugem, & filiom amiſerim. pro Quùm.

Ter. Phorm. *Inſece*, pro inſeque utitur Gellius, Quintil. Victorin.

Enn. Ipſe *Cyrinali* trabeâ, cinctuque gabino. pro Quirinali, more Graecorum.

D, pro T. L. Z. & in fine Vocis ſejunctum, tùm in medio vitandi cauſa hiatus Interpoſitum,

1. *D. quoque pro T. L. Z. conſcripſere Latini.*
2. *Vocis in extremo, ac medio D. crebriùs addunt.*

1. D. in Compoſitione ſono non differre à T., ut in *Alexander*, *Alexanter &c.* Ideoque paſſim veteres pro *T*. ponere ſolitos exiſtimo. Gruterus pag. 502. *In quod* formas, ſtatuſque Reſpublica noſtra deducta ſit. pro qnot formas.

In vetuſto Vaticano Virgilii Codice. Ecloga 2. Pocula bina novo ſpumantia lacte *quod* annis, pro quot annis. & Eclog 2. *Alque* humiles habitare caſas, & figere Cervos. pro atque. Tùm etiam initio lib. 4. Æneid. Pierus notat legiſſe *Ad* Regina gravi &c. pro At., & alia innumera.

D. pro L. Feſt., & Victorin. *Odefacio*, *Dacrimas*, *Cadamitatem*, *Capitodium*, *Dautia*. pro Olefacio, Lacrimas, Lautia, Capitolium veteres dicebant.

D. pro Z. Priſc. lib. 1. *Medentius*, pro Mezentius.

2. D. in fine vocis ſupervacaneum: in XII. tab. Capital *eſtod*, pro eſto. Item metri cauſsâ ad evitandam Eliſionem. Horat. Omnem crede diem *tibid* illuxiſſe ſupremum. Plaut. Stich; *Propinod* Eccum. Ibid. Acidalius *Eumpſed*, *&c.* pro tibi, eumpſe.

D. itidem Euphoniæ causâ in medio vocis interjectum: ut *redeo*, *redigo*, *redarguo*, *redambulo*, *antidhac*, *antideo*, (pro antehac, anteeo.) Muret. 14. Varr. lect. 19. Priſci etiam ſolebant ſupprimere E. poſt D.C. ut Dcm, pro decem; *dcimus*, pro decimus.

F. pro B, H, V. conſonanti - ac G. pro C, N.

1. *F. pariter pro B, H, V, poſuere vetuſti.*
2. *G. paſſim pro C, N Urbs Romana ferebat.*

1. Priſci.

1. Prisci. lib. 1. *Af.* pro ab; *sifilum*, pro sibilum Sciop. Orth. Scribebant, & interdum veteres Latini literam F. more Æolico, & ponebant pro V. Consonanti, & H. Æoles enim formabant. F. hoc modo Ⅎ. unde:

In Vetusto monumento Romae ita legitur Tibulla C. Sempronii. E. Manilii. Neptis. Inferno. Plotoni. Tricorpori. Uxori. Charae . Proserpinae. tricipiti. Quae. cerbero. munus. meum. ferens. damnatam. dedo. animam *Ⅎiↄamque.* hoc.me. condo. monumento. ne obrutis. domus. lapsu. filiis . sex. quos P. Scipio Patris. Camertibus E.Salo. & Libya. incolumes. restituerat. indesolata.orbitate.superstim.misera *Ⅎixit*.ann.xxxix. men.1. D.vi. Hor. scit. nemo. Quietem. Posteri. non. invideant. Qui. secos. manes. sentiat. iratos. *Ⅎita.* in front. B. XX. in agr. P. XXXIX. (pro vitamque vixit.&c.)

Plaut. Milit. Neque enim *Ⅎeminas* octo expromsi in urceum. pro Heminas.

G. pro C. Sciop. Orthop. *Nongenti*, pro Noncenti veteres ponere solebant . & sic dicimus, *quingenta*, *septingenta*. &c.

2. G. pro N. ponebatur, sequente alio G., aut C. aut N. Varr. lib.1. Analog. *Aggulus*, *Aggens*, *Agguilla*, *Iggerunt*, *Agceps*, *Agcora*, pro Angulus, Angens, Anguilla, ingerunt, anceps, ancora.

Plaut. Muriaticum autem video in vasis *stagneis*. pro stanneis. & Scribon. largus; Pyxide *stagnea*, vase, *stagneo*, pro stannea. &c.

H. pro

H. pro F. S. & post tria consona, C. P. T. positum.

1. *H persæpe vides pro F. S. ullibi scriptum.*
2. *Ante locant vocalibus, & post* 3. *consona trina:*
4. *Aspirat plerumque*; 5. *aliquando est consona muta.*

1. H. pro F. Veteres ponebant: ut *Habam*, pro fabam; *Hebris*, pro Febris; *Halisci*, pro Falisci; *Hanula*, pro fanula. &c. Scaur. de Orth.

H. pro S. ut *Muba* prò Musa. Prisc. lib. 1.

Modò præponebant vocibus a vocali incipientibus: & dicebant, *Hubertas*, *Harena*, *Hiis*, *Habundant*: unde in testamento Ludrici Grunnii Porcelli (cujus meminit etiam D. Hieronymus) Ductus sub D XVI. Kal. Lucerninas ubi *habundant* Cymae, Clybanato, & Piperato Coss. &c. modo abjiciebant: in testam. Tucidani legitur *abeto*, pro habeto absque H.: Sic etiam *sepolcrum*, *Triumpus*, *Pilippus*, *adùc*, pro sepùlchrum, triumphus, Philippus, adhùc. &c.

3. H. apud Veteres, plerumque fuit subjunctum consonantibus C. P. T., quod hausere è fontibus græcorum, quibus R. quoque aspirare solemne est, uti cuique notum est in Ch, Ph, Th, Rh.
4. Est ut plurimum aspirationis nota; ut liquet in *Homo*, *Honor*, *Humanus*, *Habilis*, *Hilaris*, *Hirundo*, *Humilis*, *Humanitas*, *Habitudo*, *Honestas*, *Hyla*, *Hominis*; & ut alii *chirotheca*, *chirurgus*, *chelis*. & consimilibus a X. græcorum derivatis.
5. Vim verò mutæ consonantis obtinuit in *Mihi*, & *Nihil*.

K. pro

K. pro C &; L. pro D. & N.

1. K. *pro C. cernes, veterum monumenta legendo,*
2. *L. quondam, pro D; R, N, 3. composita monebunt.*

1. K. pro C. græco more veteribus ponebatur: ut *Kikero*, pro Cicero.

Interdum utebantur pro C. A. ut *Krus*, *Klendas*, *Knus*. pro Carus, Calendas, & Canus. Prisc. lib. 1. Scaur. de Orthogr.

2. L. pro D. veluti *Lapsilis*, pro dapsilis, *Impelimenta*, pro impedimenta, *praesilium* pro præsidium. Festus.
3. L. pro R. & N. in compositione Euphoniæ causâ positum, ut *Pellicio*, *Intelligo*, pro perlicio, interlego; namque veteres literas non geminabant. *Collega*, *Illecebra*, pro conlega, & inlecebra antiqua.

M. pro D., & N. pro M. in medio, & in fine vocis adjunctum.

1. *M. pro D. veteres audebant scribere rarò.*
2. *N. pro M. medio vocis, vel 3. fine adiectum,*
Detractumve leges; ut prisca Exempla docebunt.

1. M. pro D. ut *Ammonitrix*, pro admonitrix. Plaut. Trucul. II. 6. v. 20.

In compositione verò, præcipuè ante D. T. C. Q. R. S. Euphoniæ viribus mutatur in N., ut *tandem*, *clandestinus*, *anceps*, *anfractus*, *conscribo*, *anquiro*, *nunquis*, &c. Quint. lib. 1.

Locum habet ante B., & P., nt *compono*, *combibo*.

2. N. ante P., mutatur in M., ut *Impone* &c. ante nosco, narus, mutatur in G. & fit *Ignosco*, *Ignarus* &c. Prisc. lib. 1.

N. pro M., ut *cónparavi*; Conradus Samuel in Orth.

3. N̦. demum veteres latini modò detrahebant, modò addebant in medio, & in fine vocabuli, ut *Praegnas*, *Infas*, pro prægnans, infans, *Agamemno*, *Bexo*; pro Agamemnon, Bexòn; & *atquin*, *quasin*; pro atqui, quasi· *formonsus*, pro formosus.

Liv. Andr. Odys. Pylum *advenies*, aut ibi *ommentas*; pro adveniens, ommentans.

Varro de Re R. lib. 1. c. 37. In decrescente luna *tondes*, calvus fiam; pro tondens.

Et lib. 4. de l.l. Videtur *pos*, potius pontem significare, quàm potentem, & in Parmen. cæditur lucus, alta *fros* decidit patulis ramis. pro frons.

Enn. 3. annal. Ova parire solet genu' pennis condecoratum; Non *Animas* .i. Animans. Et 7. ann. Populea *frus*, item *fus*; pro fruns, seu frons, aut fons, dixit.

Sic *Prasus* pro pransus, dixisse veteres, Auctor est Papirianus antiquus Grammaticus in marmore Neapolitano.

D. O. M. KL. sex. L. Mal., & Q. Torquato Coss. Sempronius Tucidanus testamen. jure mil. quod. ipse. facio. LL. *abses*. &c. pro absens.

Marmor Romanum. Hermeros dormit in pace, qui bixit ann. 11. *meses*. vii. D. vii. pro menses.

In alio Epitaphio: Aurelia Caeris. *cojux* F. pro conjux.

In alio: Heic jacet M. L. C., qui hanc Civitatem ullam,

lam, & populos suos xxx. cobernavit *anis* in pace, pro annis.

E contrà addebatur saepe verbo, ut *Thensaurus*, pro Thesaurus.

In instrumento terminorum inter Genuenses, & Vituríos, ex tabula, quæ pendet Genuae de Tholo templi maioris: Qnod. in. eo. agro. natum. fuerit. frumenti. partem. *Vicensumam*, vinei. partem. sextam. langenses. in. poblicom. Genuam. dare. debento. in. annos. singulos, pro vicesimam.

Tumulus Aquiliae: *Formonsus*. frugi. doctus. Pius. à patre maesto accepit tumulos, quos dare debuerat. pro formosus.

P. pro B., Ph. PP., & Q. pro C. R. pro D.

1. *P, quoque pro B, pro Ph, aut* 2. *PP. duplice Priscis*
Ac voce intersertum aliquando, ut Quips Aliquipsque.
3. *Q. etiam. pro C.: R. pro D. scripsere Priores.*

1. P. pro B. in Cajano legitur v. 24. *Apstinere*, & prope finem; *Opservarique*, tùm in calce lapidis alterius: *opsequenti*, pro abstinere, observari, obsequenti.

In fragmento legis agrariae, pag. 203. v. 40. legere est: *optinebis*, pro obtinebis.

Et in Oratione Claudii pag. 502. *optinuit*. pag. 403. *opsides*, & *opsidione*; pro obtinuit, obsides, obsidione.

P. pro Ph., ut *Triumpis*, pro triumphis. Prisc. lib. 1.

P. pro duplici PP. nt *Opidum*, pro Oppidum, Veteres enim literas (ut suprà monui) non geminabant.

C In

In composito habet sonum affinem cum B. uti in *combibo*, & *compono*, patet.

2. Q. pro C. ut *Oqvulus*, *Arqvus*, *quum*, *quï*, *bujusque*; pro oculus, arcus, cum, cuï, hujusce. Terent. Andr. *Quï* mihi expurgandus est. pro cui, Donato annotante.

Cic 2. de legib. Hinc fortuna *bujusque* diei. & Victor. de Region. urb. Vicus *hujusque* diei. pro hujusce.

3. R. pro D. ut *Medidies*, pro meridies; *Apur*, pro apud Fest. Victorin., Varro lib.6. de ling. lat.

In legibus Numae Pompilii: Jovi *Fedetrio* bovem caedito .i. Feretrio.

Arvectum, pro Advectum habet Cato de R.R. &c.

Q. pro S. ut *comperce*, pro compesce Fest. &c.

S. pro R.T.Z. & pro duplici SS. adjunctum, detractum quandoque in Latinis dictionibus.

1. *S. quoque pro R. T. Z. SS. pro duplice ponunt.*
2. *Vocibus interdum appingunt, demuntque Quirites.*

1. S. pro R. In xii. tab. ex.Gellio. Tertieis. nundineis. capite. poenas. Luito. aut. trans. Tyberim. venom. ito. At. sei. *pluses. esunt.* rei. tertieis. nundineis. parteis. secanto. sei. plus. minus. ue. *Secuesunt.* ne. si. fraude.esto. pro plures, erunt, secuerunt.

Enn. Cresphonte: Duxit uxorem liberûm *quaesendi* gratia, pro qnaerendi.

In xii. tab. sei. morbus. aevitasve vitium. *Esit.* pro Erit. In Carmine saliari; *cosculi*, *dolosi*, *eso*, *fedesum*, *plusima.* pro Corculi, dolori, ero, fœderum, plurima.

S. pro duplici SS. ut *Cos.* pro coss., i. consulibus; *jusit*, pro jussit.

jussit. Namqne veteribus literæ non geminabantur. Norb.Noris. in Ort.

S. pro Z., ut *Saguntbum*, pro Zacynthnm. Sciopp. in Orthop.


S. pro T. nt *detorsus*, pro detortus. Cato in Orig.

2. S. additum in principio, & medio vocis; uti *strenam*, *stritavum*; pro trenam, tritavum: *Dusmoso*, *Casmenae*, *poesnas*, *Coesnas*; pro dumoso, Camenae, poenas, coenas. *caussas*, *cassius*, *dirissiones*; pro causa, casus, dirisiones. Fest., Fabius lib. 1. c. 7.

Ante Aevum Augusti, & Ciceronis tempora multi viri docti posuerunt literam S. post literam *X*, quamvis X. significabat CS, vel GS., legitur hoc, tùm in antiquis inscriptionibus in Gruteriano thesauro transcriptis. & primò in pag. 204. *dixserunt*: pag. 202. *Exsigaturve*, & *maxsume*. pag. 449. v. 12. *Deixsistis*. &c.

Tum etiam visitur in Lucae Cænotaphio: *Maxsumi*, scilicet *desixso*, & alia. Noris. Orth.

Etiam aliquando detrahebant ex principio vocis; praecipuè Graeci, ut *Ex*, pro sex; *Eptem*, pro septem. Et ex fine; presertim in Genitivo tertiae declinationis, efferebantque, *Morti*. *Fami*, *Herculi*, *Ulissi*, *Forti*. &c. pro mortis, famis, &c. vide Genitivum tertiae declinationis, in lib. 3.



T. pro D, S. - X. pro CS, GS, & pro S. Z, pro D, DS, & pro duplici SS.

1. *T. pro D, & S. Veterum monumenta docebunt:*
2. *X. quoque pro CS, pro GS. S. pro simplice scribunt;*
3. *Denique Z. pro D, DS, SS pro duplice ponunt.*

1. T. sono in compositione parum, aut nihil discriminatur a D; ut in *Amanto*, *legunto* &c. & *amando*, *legundo* observare est. Ideoque passim pro D. veteres usi sunt; ut in *Aput*, pro apud; *set*, pro sed. &c.

In libellis Velii Romae in Regione S.Eustachii apud familiam Alberinam: Etiam. miratus. cum.ab. Aedibus. essem. *quot*. eo. loci. se. contulisset. quo. didici. causas. exemptionis. *set*. et.religionis. magnopere. a.Domino. N. Imp. impetrasse. ita. ne. qua. mora. videatur. per. nos. fieri. *Quot*, pro quod; *set*, pro sed.

In formula proscripti agri: Necessariam. fuisse. Aedificiorum. inspectionem. et. loci. de quibus. *aput*. me. actum. est. reipsa. manifestatur. *Aput*, pro apud.

T. pro S. ut *Pultatio*, pro pulsatio Noris.in Orth.

In nonnullis vocibus litera T. videtur habere sonum Z. ut in *litium*, *vitium*, *justitia*. &c. Sciopp. in Orthop.

2. X. pro S. ut *Xenos*, (idest hospes) *adnixus*, *connixus*. pro senones, adnisus, connisus. &c.

Retinet autem X sonum, vel CS. uti *Lucs*, *lucis*; *Ducs*, *ducis*; *senecs*, *senicis*. Sciop. ibid. vel GS. ut *legs*, *legis*; *nings*, *ninguis*; *frugs*, *frugis*; pro Lux, Dux, nix, &c. *Facsit*, pro faxit. Velius longus, Maximus Victorinus. &c.

3. Z. pro D. uti *Zabulon*, pro Diabolus. Prisc. lib. 1.

Z va-

Z. Valet SS. & DS. quare olim *Massa*, & *Medsentius* scripta, pro Maza, Mezentius; Nam latini Z. carebant, cui subrogabant DS. & duplex SS. Teste Scioppio in sua Orthopeja.

De Dialectis Achivis.

1. *Non ex arbitrio haec Prisci finxere latini;*
Sicut in innumeris Danaos habuere Magistros,
Hos in re nostra Auctores habuisse videntur.

1. Non ex suo prorsùs marte, atque ad sui penitùs lubitum, has literarum, vocumque metamorphoses commenti sunt Quirites illi, latinitatis patres; sed ut in plærisque aliis, ita hac in re Græcos de more emulati, ex Græcorum fontibus suas etiam fortasse hausere Dialectos. Idcircò ad majorem rei nostræ enucleationem, de Dialectis Græcis hìc perfunctoriè tractare non ab re mihi visum.

Est autem Dialectus, cujusque linguae, (sive idiomatis) proprietas. Et quinque sunt in idiomate græco sc. *Jonia, Attica, Dorica, Aeolica, & communis*; Auctore Jacobo Tusano in calce Lexici Græco-latini: Ideo sit.

De Dialecto Jonica.

1. *H. pro A.*: 2. *tenuem spiratae Jonia praefert*:
3. *Diphthongum dirimit*: 4. *vocalem denique pellit.*

1. H. pro A. usurpare solebant Jones, ut φιλίη, pro φιλία. Item ε. pro α. ut γελέω, pro γελάω. & vicissim α. pro ε

ut

ut τάμνω, pro τέμνω. Item κ. pro π., ut κῶς, pro πῶς.

2. Tùm π. pro Ph; ut ἀπαιρεῦμαι, pro ἀφαιρεῦμαι. amabant enim; retinebantque tenues, ubi in aspiratas mutatio facienda esset. unde P. C. T. R. pro Ph, Ch, Th, Rh. retinebat.

3. Diphthongos in duplicem resolvebat vocalem, quam nos diæresin dicimus, ut μοῦσα, pro μῶσα. uti nos *cuï*, *queis*, &c. Item contractionibus prorsus abstinebant, dicebantque ποιέω, βοάω; pro contractis ποιῶ, βοῶ; &c. & Δημοσθένεος, potiùs, quàm Δημοσθένους, &c. simplicitatis amatores.

4. Propter id à quibusdam vocibus vocalem expungebat, modo, quo latini *fenus*, pro foenus; *Idem**, pro Eidem usurparunt.

De Dialecto Attica.

1 T, P Z, pro Σ; ac 2. T. pro E. Attica scribit:
3. Diphthongi vocalem aufert pro Carminis usu.

1. T. pro Σ. ut τήμερον, pro σήμερον; θάλαττα, pro θάλασσα.
P. pro Σ. ut ἄῤῥην, pro ἄρσην.
Ξ. pro Σ. uti Ξὺν, pro Σὺν.
2. Y. pro E. ut Ὑ̓ργον, pro Ἔργον,
Præthereà contractionibus, in primis delectatur.

De

De Dialecto Dorica.

1. *A. pro* H, *aut* Ω. *crebrò gens Dorica profert*:
2. Ω. *pro* Ου: H, *pro* EI: 3. *pro* Θ, 4. Σ. *cum simplice scribit*
5. *Pro numero primo supponit saepe secundum*.
6. *Aufert saepe I. post E. ceu cytherea, chorea*.
Pluresque immutat diphthongos, 7. *consona plura*.

1. A, pro H, ut φάμα, pro φήμη.
A, pro Ω, ut πρᾶτος, pro πρῶτος.
Item pro E; ut πιάζω, pro πιέζω.
Et pro ει, & ȣ; ut Α'νεία, κλᾶδας, pro κλεῖδας, Αἰνείȣ.
2. Ω, pro Ου; ut Μῶσα, pro Μȣ̃σα.
Et pro E; ut ὥνεκα, pro ἕνεκα.
Item pro O; ut ὤρεα, pro ὄρεα.
3. H, pro EI; ut κοσμῆν, pro κοσμεῖν. Insuper pro A; ut ζῆν, pro ζᾶν.
4. Θ, cum Σ, commutat; ut Α'σεος, pro Α'θεος.
5. Plurativum numerum pro singulari adhibere consuescit; ut δόξας, pro δόξαν.
6. I, post E; quandoque explodit; ut Α'γιάζεν, pro Α'γιάζειν.
7. Diphthongum itidem αι, in ει; transfert: ut αἶθε, pro εἶθε. Et οι, in ου; ut τύπτοισα, pro τύπτȣσα; μοῖσα, pro μȣ̃σα; ευ, quoque in ου; ut φιλεῦσι, pro φιλȣ̃σι.
In Consonantibus pariter suas Experitur mutationes; & Σδ pro Z, substinuit; ut συρίσδω, pro συρίζω.
Item Σ, pro N; ut τύπτομες, pro τύπτομεν.
K, pro T; ut πόκα, ὅκα, pro πότε, ὅτε; & è converso.

T, pro

T, pro K; ut τηνῶς, pro κεῖνος; & Ξ, pro Σ, ut κλαξῶ, pro κλείσω, &c.

De Dialecto Aeolica.

1. *Aede sua accentum Aeolides detrudere gaudent;*
2. *Casibus & numeri I semper miscere secundi.*
3. *Ω, pro Ου, atque O:H, pro Ει; passim scribere suescunt.*
4. *Spiritus asper eis hostis; tenuisque adamatus.*
5. *Consona saepe etiam voces apponitur ante:*
6. *Duplice pro MM; PP, duplex aliquando reponunt.*

1. Dialectus Aeolica accentum de sua naturali sede, seù syllaba, in aliam non raró transferre solet; si sic scribit πόταμος, pro ποταμὸς; Accentum in priores syllabas retrahendo.
2. Moris ejus est, casibus pluralibus literam I. interserere, & scribere Μῦσαις, pro μῦσας; uti nos *Civeis*, *omneis*, &c. pro Cives, omnes.
3. Ω, pro Ου; ut λείπωσα, pro λείπυσα.
Ω, pro O; ut κῶρος, pro κόρος; & è contrà; ὅρος, pro ὥρως.
Item E, pro A; ut θέρσος, pro θάρσος.
H, pro Ει; ut ἔλθην, pro ἔλθειν.
4. Omnem rejiciunt aspirationem; tenuitatem in pronunciando affectantes; ut ἠμέρα, pro ἡμέρα.
5. Consonantem β, ante ρ; in capite dictionis adponunt, ut βρέδον, pro ρόδον; βράκη, pro ράκη. &c.
6. Et postremò Ππ, pro MM: adhibet; ut ὄππατα, pro ὄμματα. &c.

De Dialecto Communi;

1. *Denique Communis Dialectos colligit omnes.*

1. Idem, omnes prædictas linguarum complectitur proprietates. Cæs. Fan. in suo Hermaphr.

De Differentiis inter veterem, & novam Scripturam.

Nostra modò à veteri Majorum exempla secuta,
Differt in 1. *quanto, in* 2. *quali, ac in* 3. *utroque frequenter.*

1. Nostra Scripturá, seù scribendi consuetudo à veteri discrepat in *quantitate*, in *qualitate*, & in *quantitate*, & *qualitate* simul.

Quantitas vel in additione, vel in detractione, vel in utrâque simul sita est.

Additio est, vel unius vocalis, ut *eidem*, pro idem; *leitem*, pro litem; *Jous*, pro Jus; *sovo*, pro suo; *queicuomque*, pro quicumque, &c.

Vel unius Consonantis; ut *Quotiens*, *exsigunt*, pro quoties, exigunt.

S. *Exsercere*, *amasso*; pro exercere, amaso.

P. *Quips*, *Aliquips*; pro quis, aliquis.

ST. *Stlis*, *Stritavus*; pro lis, tritavus.

D. *Tuad*, *med*, *plebed*; pro tua, me, plebe,

Vel unius Syllabae; ut *postidea*, *indotestato*; pro postea, intestato.

Detractio item fit, vel unius vocalis, ut *fenus*, *femina*, *heres*, *popli*, *adicito*; pro foenus, adjicito, &c.

Vel unius consonantis, ut *osa, clase, jusit, acera, polex*; pro ossa, classe, jussit, acerra, pollex.

Vel utriusque: ut *jusit, jusus*; pro jousssus, jousssit: vel è converso, utriusque mutatione: ut *poplei*, seù unius additione, & alterius detractione, ut *jousit, jousus*.

Qualitas autem consistit, vel in mutatione alicujus vocalis: ut *leber* pro liber: *Menerva*, pro Minerva: *Praesentebus*, pro præsentibus: *vorsus*, pro versus: *servos, servom*, pro servus, servum: *dicont*, pro dicunt: *coerare*, pro curare: *dicundo, faciundo, ferundo*: pro dicendo, &c. *optumus*, pro optimus, & sic *aestumare, adulescens, epistula, Aeguptus, Surius, &c.* pro æstimare, adolescens, Epistola, Aegyptus, Syrius, &c.

Vel unius consonantis: ut *lece*, pro lege. *Rocom*, pro rogum: *fidius*, pro filius: *Fedetrius*, pro Feretrius: *Af*, pro Ab: *Delicat*, pro dedicat: *pequnia*, pro pecunia: *Arlabi*, qro Adlabi: *Asa*, pro Ara: *Casmen*, pro Carmen: *amaso*, pro amaro: *Alexanter*, pro Alexander: *quit*, pro quid: *inlustris*, pro illustris: *adfectus*, pro affectus.

Vel utriusque simul: ut *arcuesit*, pro arguerit, *exfociont*: pro efficiunt.

In quantitate, & qualitate simul consistit etiam [ut dixi] mutatio: ut *adecito*, pro addicito: *addeictos*, pro addictus: *continoeis*, pro continuis: *deicundo*, pro dicundo: *endo*, pro in: *fassis*, pro farris: *fousiosos*, pro furiosus: *maxumod*, pro maximo: *oloi*, pro illi: *poplos*, pro populus: *praesented*, pro præsente: *praesentebos*, pro præsentibus: *sopera*, pro supra.

De

De Ratione ejuſmodi Additionis, Detractionis, & Mutationis.

Si quæris, dicam, cur haec fecere latini:
1. *Euphonia eſt facta haec mutatio, junctio, ademptio.*

1. Euphonia, ſeu Sonoritas eſt, quae pronunciationem auribus commendare quaerit, ut ſuavi, minimeque odioſo ſono ad eas allabatur. Hujus causâ Latini literarum alias omittebant, alias inſerebant, alias mutabant. Sciopp.

Illatio ex prædictis.

Jure igitur Vates, aut priſco, aut more pelaſgo,
Literulam adjungant, demant, mutentque aliquando:
Syllaba nunc Operi paſſim de = nunc ſuper = eſtque:
Quod modò Grammaticus ſolet appellare figuras,
De quibus eloquar alterius ſub fine libelli.

Pro variis itaque idiomatum proprietatibus, quas Proceres noſtri adhibere ſolebant, exorta eſt tanta pro tempeſtatibus in ſcribendo varietas, ut, veteris Scripturæ jejuni, ac Græcarum Dialectorum ignari, audactèr aſſeverent, id, vel ad Typographorum incuriam, vel ad libertatem poeticam tribuendum contendant: vel deniquead figurarum aſylum confugiant: & propterea additionem, quæ in principio vocis fieri ſolet, *Protheſim* appellant, cum hæc Dialectus Aeolica ſit.
Detractionem in eodem principio, *Apherefim* nuncupant; cum ſit more Jonico dictum.


Adjunctionem in medio vocis, *Epenthesim* dicunt, cum proprietas Æolica potius vocanda.

Detractionem in eodem factam, *Syncopen* vocitant, cum hæc communis Dialectus sit dicenda.

In fine vocis Additionem vocant *Paragogen*, cum hæc pariter ad communem Dialectum referatur.

In eodem Detractionem ad *Apocopen* attribuunt, cum Dorici idiomatis proprietas est, & pariter permutare Diphthongos, & Consonantes, quam *Antithesin* appellamus, &c. de quibus agam in fine Libri sequentis.





LIBER SECUNDUS.

De Syllaba, ejusque Divisione, & Accidentibus.

Literulas priùs exposui, quodque accidat ipsis;
Nunc dicam, quid sit, quotuplex, & syllaba quanta.
1. *Syllaba quaeque soni integri est comprensio: constat*
Sæpius ex multis. interdum est litera simplex.
Composita, aut simplex, brevis est, vel longa, vel anceps.
2. *Syllabæ & accentus, tempus, numerusque notarum,*
Spiritus in graecis, & apostrophus accidit usu.
3. *Accentus triplex; gravis est, inflexus, acutus:*
Arte gravis reprimit voces, extollit acutus.
Inflexus miscendo tonos, comprendit utrumque.
Spiritus est duplex; tenuis seu lenis, & asper.
Voce Asper densâ profertur gutture primo.
Vocibus est demptae unius notae Apostrophus index.
Est Tempus quoddam spatium, quo syllaba ab ore
Promitur, estque etiam triplex; longum, breve, & anceps.

1. Syllaba quaeque integrum comprehendit in pronunciando sonum.

2. Ejus

2. Ejus accidentia (ut vocant) sunt Accentus, tempus, literarum numerus, & spiritus in graecis vocibus: & in Latinis quoque H. aspirationis notam habentibus, quae à priscis fortasse, quadam densitate vocis in principio gutturis, Graecorum more efferebatur. pluribus ut plurimum conflatur ea literis: & quamvis in unica interdum consistat vocali: Veteres tamen, Prisciano teste lib.2.: Eisdem vocalibus H. aut praeponebant, aut postponebant, scribebantque *Havus*, pro Avus, &c. & *aba*, pro ah, &c.

Porrò Syllaba *longa* ea dicitur, in cujus pronunciatione longum absumitur tempus, vel duo tempora brevia, vel unum, & alterum dimidiatum, ut *sto*, *do*, *Harpyia*, *Europa*, &c.

Est enim hìc Tempus, illa duratio, Mora, vel durationis intercapedo, quæ in syllabæ prolatione ponitur.

Brevis syllaba ea est, in qua efferenda unum [.1. breve tempus) vel unum, & quarta alterius pars consumitur: ut *Mi*, in *Domino*: *ja*, in *jacet*: *Jo*, in *Jovis*: *Me*, in *Meus*, &c.

Communis demum erit, ea, in cujus prolatu unum tempus, & pars alterius tertia exquiretur, veluti *lu*, in *volucri*: *re*, in *cerebrum*.

Quod omne notarum musicarum (.1. longæ, semi-longæ, Brevis, semi-brevis, &c.) Exemplo planum fieri potest.

Pro uberiori tamen rei hujus doctrina, animadvertendum est, vocales apud latinos neque esse perpetuò breves, neque perpetuò longas. Sed si breves, aut ex brevibus græcis descendentes, sunt; aut aliam suppressam non habent; sin verò longae, aut ex graecis longis, aut suppressam habent alteram. Sunt autem

apud

apud Græcos η, & ω: perpetuò longæ: ε, ο: perpetuò breves: α, ι, υ. Ancipites .i. in quibusdam vocibus breves; in nonnullis aliis longæ.

3. *Accentus* est ea vocis modulatio, quæ vel auget, vel deprimit syllabae sonum. Duplex est apud latinos, *Acutus*, & *Circumflexus*. *Gravis* enim, quia non scribitur, coincidit, & confunditur cum syllabico.

Acuti effectus est ἄρσις .i. Elevatio toni, ejusque nota est sagitta à dextera ad sinistram obliquè decidens, sic: [ά]

Gravis est itidem lineola à sinistra dexteram versus transversaliter descendens, ejusque effectus est θέσις .i. positio, seu depressio toni; notatur: sic (è)

Circumflexus denique est, quo syllaba uno tempore elevatur, & altero deprimitur. Ejus nota est mixta ex duplici nota, *Acuti* scilicet, & *Gravis*, in angulum coeunte, ut (ô) vel sigma transversum, veluti [α̃].

Accentus autem propriè sumpti, vocantur à Graecis προσωδίαι; à Latinis verò *Accentiunculae*, ab accinendo, & *toni*, *tenores*, *voculationes*, *fastigia vocum*, *vocum moderamenta*, ut Cic. 3. de orat. Diomedes l. 2. Quintil. 1. cap. 5. Gellius. 13. cap. 6. & 14. *Animae vocum*, & *Musicae Seminaria* à Martiano Capella.

Porrò Accentus non sunt ad judicandum syllabae quantitatem instituti, (Immò in Graecis Dictionibus persæpè cum quantitate pugnant: ut patet in τύπτεσθαι; &c.) sed tantum quantitatem moræ, quae est syllabae imago per aerem propagata, atque in aere perdurans, & spatii, quod in aere occupat. Nam syllaba Acuta, aut Circumflexa longius penetrat intervallum, pluresque sui similes propagat in aere syllabas, unde & diutiùs vivit ejus imago audibilis, & à

di-

distantibus melius percipitur, & major i intervallo ab Echo repetitur, quàm syllaba gravis, aut syllabico accentu remissè prolata: non secùs, ac in corda intensiùs ducta, quàm in remissiùs extenta. fit. Atque hinc Syllaba Acuta longior semper, quàm gravis videtur: & Acutus, Circumflexus, *Prædominans vocatur* a Diom.

Mox quòd ad Sedem Accentuum in Latinis Dictionibus pronunciandis, aut scribendis.

Regula 1. est. Nulla vox Latina, ne monosyllaba quidem, caret accentu acuto, vel circumflexo; nulla ex polisyllabis acutum, vel inflexum in ultima: nulla Circumflexum antè penultimam, nulla acutum ante antepenultimam potest habere.

Secunda: Circumflexus ponitur tantùm in monosyllabis longis non positione tantùm, sed naturâ suâ, ut in *sôl*, *cûr*, vel naturâ & positione, ut in *lûx*, *fêx*: aut in penultima polisyllaborum suapte naturâ longa, modò ultima sit brevis, ut in *plûra, amovêre, Deôrum, Conflâtis*.

Tertia: Acutus in monosyllabis brevibus, communibus, aut positione tantùm longis, ut in *méi, fác, nu'nc*: In dissyllabis autem in prima brevi, communi, aut positione tantùm longa: aut naturâ quidem, sed ultima sit longa: ut in *De'us, pa'tris, re'xit, mu'ros*. Item in hyperdissyllaborum antepenultima, si penultima sit brevis; In penultima verò, si longa sit positione tantùm, vel naturâ, sed ultima longa, ut Dóminus, paréntes, amíci. Quod si horum penultima sit communis ob mutam & liquidam, acuenda est antepenultima, ut in *semíduplex*, látebrae; si verò communis, quia sunt genitivi in jus, acuenda penultima dempto; *Alte'rius*. Quar-

Quarta: In ſcribendo (ut in Miſſalibus) Monoſyllabo- rum, & Diſſyllaborum Accentus negligi ſolet; quippe quæ non adeò ſint errori in pronunciando obnoxia: Circumflexi quoque diſcrimen ab acuto vix in pronunciando ſervatur; invaluit enim, ut more Acuti efferatur; quia ex Quintiliano 1. c. 5. eadem flexa, & acuta. Et nulla eſt vox ſine acuto; quia in Circumflexo id, quod praedominatur, eſt acutus.

Exceptio 1. In pronunciando verſu, penultima alioquin, communis acuenda eſt, ſi in eo uſurpetur tanquam longa: ſi autem tamquam brevis, acuenda antepenultima. Quintil. 1. c. 5. afferens illud Virg. *pecudes, pictæque volu'cres*: & ità fieri poteſt ut eadem dictio in eodem Carmine ponat acutum in antepenultima ſemel, & iterum in penultima, ut in eo Ovid. 13. Metam.

Et primo ſimiles vo'lucri, mox vera volu'cris.

Secunda: Communem habentia penultimam, non natura ſuâ, ſed ob figuram ſyſtolem, Diaſtolem, vel ob neceſſitatem, vel licentiam, extra verſum, pronuncianda, ut eorum natura fert, & ſic acutâ penultima, ut ſtete'runt, tule'runt, & antepenultima; in *dede'ritis, tranſie'ritis*, &c. Si verò eam communem habeant, utrovis modo licet proferre; ut *Ba'tavus, & Bata'vus, Re'sina, & Resi'na*, &c.

Tertia: Encliticae, *que, ne, ve*, in Compoſitione attrahunt accentum ab antepenultima compoſiti ad penultimam, ſi penultima, ſit longa, vel communis ex ſe, ut *homine'ſne, ferae'ne, & ſupra'que, patria've, & intibique, ſileóne?t riginta've.*

Si verò penultima brevis ſit, acuenda eſt antepenultima,

 ut

ut in *a'rmaque*, *a'strave*, *cu'nctane*: modo non sint hypertrisyllaba, quorum etiam antepenultima sit brevis, tunc enim acutus sedebit, sive jacebit super quarta à fine; sed encliticae tunc pronunciandae, ut separatae, & non perfectam compositionem facientes, ut *Sy'derane*, *o'peraque*, *o'rpheave*, *o'mnia-que*, &c. Vel ità conjunctae, ut accentus gravis illis tribuatur, sed qualis est gravis Græcorum, & non omninò syllabicus .i. aliqua majori intentione, & conatu pronunciatur; licet non tanta, quanta acutus.

4. Ceterum consuetudo peritorum certa, & manifesta in pronunciando sequenda est. hæc ex Quintiliano, & Diomede desumta sunt.

Demum de Accentu in ultima locando, controversum est; Quidam cum Prisciano acuunt penultimam in contractis his, *Arpina's*, *Tolosa's*, *Mœcena's*, *&c.* & *calefa'c*, *benefa'c*, *benedi'c*, *dedu'c*, *illu'c*, *istbu'c*, *illi'c*, *&c.* priscis dicta in recto, *Arpina'tis*, *Tolosa'tis*, *&c.* & *calefa'ce*, *benedi'ce*, *&c.* *illu'cce*, *istbu'cce*, *&c.* sic in *calefi't*, *frigefi't*, *&c.* Nebrissensis. Ceterum, in compositis in fine ex monosyllabis quidam non recedunt à regula latini sermonis, nunquam in fine admittentis acutum, aut circumflexum; ut Quintil, sed poterunt, ut supra gravari, & quasi semiacui in pronunciando, idemque dic de *adbaec*, *etiamnum*, *jamtum*, *nenon*, *necne numnam*, *quicum*, *quianam*, *quodnam*, *quippeni*, *ubivis*, *ubinam*, *&c.*

Praeterea ad discriminandum nonnulli acuunt cum Prisciano ultimam in adverbiis his: aliàs, doctè, falsò, manè, modò, longè, latè, palàm, ponè, profectò, putà,

rectà,

rectà, tantùm, unà, &c. Sed Quintilianus 1. c. 5. de præpositione *circum*, id factum ab aliquibus in cursu orationis tantum, ut in illo Virgilii: *Qui circum littora, circum piscosos scopulos*: factum refert, in aliis verò non recessisse a lege veteri.

Ad extremum Græcolatina, significatione facta latina. Si accentus eandem utrobique sedem retineat, pronuncianda sunt secundùm legem latini sermonis: Idemque, si græcè alibi jaceat, licet possit vox, et graeco, & latino more proferri.

Si verò sola scriptura latina facta sint, melius fortasse Accentu græco proferentur, quia adhuc græci juris sunt. Ceterùm in carmine juxtà carminis concentum vocabula sunt pronuncianda; sed manum de tabula.

4. *Apostrophus* est quidam index alicujus literæ vocalis, vel consonantis e fine vocis elisae; ut *viden'*, *scin'*, *audin'*, *&c.* pro vides ne? etc. *Nunciu'*, *fideli'*, *&c.* pro nuncius fidelis, &c.

Quantitas nunc, seu tempus syllabarum dignosci, opus est in specie, & pressius; idcircò ad Particularia *Prosodiae* præcepta descendimus. & primò agamus.

De Primis cujusque Dictionis Syllabis.

Literæ apud Latinos (ut in superiori libro) sunt 23.
A, a, b, c, d, e, f, g, h, i, k, l, m, n, o, p, q, r, s, t, u, x, y, z.
Vocales sex, a, e, i, o, u, y, ex harum compacto.
Diphthongi ortum ducunt, ae, au, ei, eu, oe, yi, &c.
Quarum ae, & oe. posterior tantùm vocalis, priore in prolatione fermè, aut omninò suppressa, exprimitur.

Consonantes sunt reliquae, quarum

Mutae sunt b, c, d, g, p, q, t, & f; quae sonum Vocalis in fine exprimunt.

Semivocales, l, m, n, r, s, &c. quae vocalem initio efferunt.

Liquidae, seu liquescentes, .i. liquidi, clari, & à ceteris discreti soni, l, r. apud Latinos; & m, n. apud Græcos, & quandoque etiam (licèt rarò) apud nos: ut in *Tecmessa, Cycnus*.

Duplices: x, & z. ut suprà &c.

J, & V. vocalibus præpositae, evadunt Consonantes; nisi diphtongum constituant, ut *janua, valvæ*.

Jota Grecorum semper est vocalis regulariter, ut Jäspis, Jämbus, Jäson, quæ trisyllabæ sunt.

Jod autem Hæbreorum semper consonans; ut *Jesus, Jacob, Joannes, Judas*, poterit tamen more græco, dissolvi, &c.

PRÆCEPTUM I.

De Vocali ante Vocalem.

1. *Vocalem breviant, vocale sequente Quirites;*
Ut Dĕus: *At longant, quando est diphthongus Achiva;*
Aut conscripta per H, & Ω *ab origine longa,*
Aut duplici priscâ alterutram expunxere Moderni.
2. *Hinc produc* Fīo: *At.* 3. *brevia, si R. continet in se;*
Ut Fĭerem, Fĭeri. 4. *Producito nomina Quintae,*
Ut speciēi: 5. *Deme* Rĕi, Fidĕique, spĕique:
6. *Sed Genitivum in* ĭus *varia, & dic* illĭus, atque
Illīus; *reliquos pariter variare poetæ est.*
7. Alterĭus *brevis est; longus genitivus* 8. alīus.

9. Pom-

9. Pompēi, Cāi: *& similes produce vocandi*.
10. Eheu *longum*; 11. *communes dicito* ô, ôhe.
12. *Nomina graeca etiam variò modulare*, Marīam,
Et Marīam, *& pariles*. 13. *Verùm longato* Thalīam,
Darīum, Andrēam, Dīam, Galathēa, Chorēas,
Et similes voces 14. *Brevis est* symphonĭa. Sanè
15. *Corripit interdū* p l a t eă m, c h o r eă m q; *Camęna*;
16. *Solvit & in geminam (ut)* cytheréja, chrēia) longam.

1. Etsi vocalis, quæ alreri præest, sit ritè brevis in vocibus latinis, & varia in græcis, est nihilominus longa, suapte natura, quando est diphthongus penès graios, aut H, aut Ω. & sic duplicis temporis, ad quae exprimenda scripsere Veteres Latini geminata vocali. *ee*, *oo*: hoc modo: *Veenit*, praeteritum, *Æthoos*: & sic *Maalus*. navis arbor. Praeterea Diphthongos græcas sæpe verterunt in latinas. uti *οι*: in *oe*: ut *Phoebus*, *Oeconomus*, *Coenobium*; *ai*: in *ae*: ut *Machaera, palaestra*; *ευ*: in *eu*: ut *Eurus*, *Leucothoe*: *αυ*, in *au*, ut *Aula*, *Naumachia*: *υι*. in *yi*: ut *Harpyia*, *Orithyia*: *ου*: in *ou*: ut *Mousa*, *vel Moisa*. *fovo*, *vel fejo*. *ᾳ* cum jota subscripto in *oe*: ut *auloedus*, *Comoedia*, *citharoedus*, *&c*. *ηυ*. in *iu*: vel *eu*; & *ωυ*. in *ou*: & sic varios imitando dialectos græcas. *dieij*, *illejus*, *alejus*, *Cythereja*, *Elegeja*, *Choreja*, *Pompeje*, *Troija*, *Maija*, *Maijora*, *&c*.

Et sæpius suppressa alterutra vocali. *ει*. in E. Longum transtulere: uti *spondēus*, *trochēus*. *orēas*. *&c*. vel in *i*. longum, ut *Clīo*, *Nīlus*, *Sīren*, *Paradīsus*, *&c*. & ex *ἔλαιον*, *oleum*: & Aeolicè in A. ut *Alchāos*, sic *ου* in *U*. ut *Thūle*, *Medūsa*, *Palinūrus*, & *Doricωs*: *in ω*. ut *Mωsa*. pro *Musa*. & *ᾳ* in *A*. longum, uti *mnā*. *Thraciā*. &

ῳ. in

ω. in o. longum; ut *ōdes*, & derivatis: *ōdeum*, *parōdia*, *melōdia*, *&c.* atque ità deinceps ad simplicitatem in scribendo sensim, ac dietim accesserunt. vid. Mari-Angelum à Fano in Actuario ad Sciop. & Sanxium.

Poetarum testimonia.

1. *Disce puěr Virtutem &c.* Virg. 12. Æn.
2. *Fīent ista palam.* Juven. Satyr. 3.
3. *Confieri possit, &c.* Aen. 4. bis produxit. Plau. Amph. in Jamb. Senario.
Pater curavit uno foetu, ut fīeret.

Si in obserendo possint interfīeri. Idem Trinum.
Qua de re Mariangelus à Fano in Auctario existimat, esse longum.

4. *Quarta jam parte diēi.* Hor. lib. 1.
5. Rei, fidei, & spei. variantur. fidei, melius corripitur.
6. Unīus ob noxam. &c. Aen. 2.
Tu morbum curas illĭus, ille tuum. Ouven.
7. In prosa oratione perpetuò; sed in versu. longus legitur apud Terentianum in duplici Jambo.
Nec alterĭus indigens opis veni.
Sub alterĭus consonat vocabulo.
8. *Alīus* in gen. ad differentiam (ut dicunt) nominativi. *Alius*; unde olim *Alejus*, & hoc in prosa, ac versu.
9. *Quod peto, da Cai*; non peto consilium. Mart. l. 4.
Feras agitabilis aër. Ovid. Met. 2.

Sic in *Càius* trisyllabo, & *Càjanus*, & in *aquāi*, *Animāi*, *frugiferāi*, *Lunāi*, *&c.* prisco more dictis.

Item E. in Adjectivis à propriis, quorum penultima in genitivo longa est: ut *Augustēus*, *Julēus*, *Maronēus*. *Neronēus*. ab Augusti, &c.

Tùm

Tùm A. in Achāia, Achāis, Athenāis, āonia, Chāonia, Elāis, Lāertes, Nāis, Ptolemāis, Tāygeta, &c. Thā s. & derivata à λαὸς, ut Lāicus, Lāius, Lāidus, Lāocoon, Critolāus, Lāodicea, Menelāus, Philolāus, &c. quae in aos, possunt atticè verti in εος breve, & dici *Nicoléos*, *Agesiléos*, *&c.* Insuper nomina in āon, ut *Lycāon*, *Machāon*, *&c.* & *āër*, *āërius*, licèt à Græcis variari solitum.

Præterea E. in *Lēander*, *Dēiphobus*, *Dējanira*, *ēetion*, Echenēis, Ernēus, Tējus, Thrēijcius; & patronymica Danaēis, Pimplēis, Chrysēis, Brysēis, Thesēis, &c. quæ per η græcum. Et nomina in *ēum*, ut *apogēum*, *hypogēum*, *Lycēum*, *Mausolēum*, *Musēum*, *gynecēum*, *&c.* quæ per ει diphthongum, sicut & fœminina in *ea*: ut *Althēa*, *Amalthēa*, *Antiopēa*, *Aristoclēa*, *Basilēa*, *Cadmēa*, *Cichorēa*, *centaurēa*, *Cæsarēa urbs*, *Cymodocēa* *Calliopēia*, *Deiopēa*, *Medēa*, *Odissēa*, *Panacēa*, *&c.* (Exceptis, quæ a θεὸς ut *Dorothea*) Item in *Eus*, ut *Alphēus*, *Gagēus*, *Penēus*, *spondēus*, *Argēus*, *Phocēus* *&c.* & *Orēas*, *Argēas*, *&c.* quia Omnia per ει.

Variant vero E. 1. ob dialecti diversitatem, *Alêa* urbs, *Chorêa*, *Conopêum*, *Cyclopêus*, *Borêus*, *Dædalêus*, *Malêa*, *Platêa*, *Typhoêus*, *Pegasêus*: licet per η communiter. Item Aenêis, Nerêis, &c. licet per η. Item obliqui nominum in *eus*: ut *Briarêum*, *Cephêa*, *Ilionêa*, *Idomenêa*: Et êos, *êous*. quia per ε, & η. & *Aenēas* Anchisis. quia per ει: *Aenéas* vero Actuum Apostolorum quod per ε. ut & Rhéa Saturni uxor: & Rhéa. Romuli Mater.

Produc identidem I. in Amphīon, Arīon, Chīon, Chīus, Cyaneus, Dīa, Dīo, Dīogenes, Ebīon, Echīon, Ethīon, Enyo, Enyalus, Heīios, Hyperīon, Ho-

mœo-

mœomerīa, īapetus, īasus, Ixīon, Ophīon, Pīerius, Pīerides, Methīon, Phīa, Phlīa, Phthīa, Prīamides, Thyīas, &c. Item habentia *ει*, pro j: veluti *Arīus*, *Aparchīas*, *Achīas*, *Clīo*, *Hermīus*, *bravīum*, *Sperchīus*, *Prīon*, *Thīodamas*; & quaedam in *ium*, ut brephontrophīum, Hermīum, idolīum, nosocomīum, patriarchīum, Theologīum, Xenodochīum, & Episcopīum, strophīum, &c. Item nomina urbium: *Alexandrīa*, *Antiochīa*, *Nicomedīa*, *Samarīa*, *&c.* & fœminea: Angarīa, antipathīa, baphīa, chiromantīa, &c. Iphigenīa, Lygīa, Dulīa, Elegīa, Encyclopœdīa, Energīa, Epiphanīa, Hygīa, Idololatrīa, Ironīa, Litanīa, Magīa, Pædīa, Politīa, Peripherīa, Satrapīa, Pyromantīa, &c. quæ cuncta per *ει*.

Variantur *Academīa*, locus: *Academĭa*, secta; quia primum per *ει*; secundum per *ι* scribitur. Item *Arimathîa*, *Darîus*, *Idolîum*, *Myrepolîum*, *Thermopolîum*, *Seleucîa*; & *Cyane*, *Dîana*, *Jö*, *Jônius*, *Geryon*, *Orîon*, *Pandîon*, *Prîaneus*, *Sophîa*, & necessitate cogente producitur *Hilarîon*.

Producas pariter habentia *ω*: ut Achelωus, Bagωus, Alωeus, Herωes, ωarion, ωone, Hωicus, Trωilus, Trωes; Typhωeus, Zωilus, Zωophytum. Item patria in ωus, vel ωis: ut Argωus, Arctωus, Deωis, Eωus, Cωus, Gelωus, Inωus, Lesbωus, Latωus, Lagωus, Minωis, Mantωus, Myrtωus; Varia tamen Herôicus, & Trôïa trisyllabum.

Produci posse volunt, & Andrēas, Matthīas, Idēa: Corripitur tamen Cynĕas, et Cratĕas, Thrasĕas, etc.

Varia adjectiva in *Aicus* .i. ab A brevi proficiscentia, corripe; ut *Phocăicus*, *Thebăicus*, *Callăicus*, a *Phocăis*, *The-*

ïäis, *Callàis*. Longa verò, si ab A longo, vel *αι*, vel *ει*: uti *Achäicus*, *Athenäicus*, *Caldäicus*, *Pharisäicus*, *Hebräicus*, *Spondäicus*, *Trochäicus*, *ab Achaeo*, *spondeo*, *&c*. Leguntur tamen *Alcàicus*, *Archàicus*: Brevia, & varium *Judâicus*, fortasse Aeolicè; mutato *αι*, in *α*: ut in *Alcaos*, pro Alcaeus. 1. Extrito.

Item protrahito penultimam in *eus*,*ea*,*eum*, sive à nominibus in *ευς*: sive desinant in *ειος*: ut *Achillēus*, *Orphēus*, *Thesēus*, *Persēus*, *&c*. & *Apellēus*, *Araēus*, *Atlantēus*, *Bacchēus*, *Gygantēus*, *Lernēus*, *Thyestēus*, *&c*. Quae tamen Jonicè in *ιος*, vel Atticè in *εος* verti, & corripi poterunt: ut *Tiphoea tela*, & *Cyclopea saxa*. Virg. praesertim, quum brevis est antepenultima: unde variatur penultima in *Borêus*, *Dædalêus*, *Pegasêus*. Corripitur verò in *Agenorêus*, *Amazonîus*, *Amphionîus*, *Arionîus*, *Caucasêus*, *Cyanêus*, *Echionîus*, *Gorgonîus*, *Nestorêus*, *Palaemonîus*, *Mimallonêus*, *Pergamêus*, *Hectorîus*, *Hyperborêus*, *Jonîus*, *Machaonîus*, *Stentorêus*, *Sysiphêus*, *Tantalêus*, *Tartarêus*. Sed *Athêus*, *Enthêus*: brevia sunt, per *e*. à *Θεὸς*.

Postremo, Nomina in *ia* apud Graecos brevia, regulariter sunt, ut *symphonîa*: licet habentia Jota acutum, soleant cum accentu acuto in penultima, (uti *Anotomía*, *Aristocratía*, *Antonomasía*, *Ecclesía*, *Geographía*, *Metonymía*, *Ophthalmía*, *Neomethía*, *Philosophía*, *symphonía*, *Theología*, *&c*.) pronunciari; produci verò nequeunt: Excepta tamen *Sophîa*, quae variari solet.

15. Variâ nimirum Dialecto. Unde Ovid. 2. Metam.

Saepe sub hac festas Dryades duxere Chorēas.

Et Virg. Aen. 6. Pars pedibus plaudunt *Chorēas*; & carmina dicunt; & Horat. lib. 3.

Puræ sunt platëæ, nihil meditantibus obstat.

16. Pleraque sunt, quae in *ëjus*, *ëja*, *ëjum*: Resolvuntur, producto E uti *Aenëjus*, *Clymenëjus*, *Cybelëjus*, *Cytherëja*, *Danaëjus*, *Erigonëjus*, *Pelopëjus*, *Priamëjus*, *Philirëjus*, *Pegasëjus*, *Semelëjus*, *&c.* Unde Virg. *habet Cytherëja pœnam*, & *Priamëja Virgo*, *&c.* & Ovid. Eleg.1.

Flebilis indignos, *Elegëja*, solve capillos, &c.

PRÆCEPTUM II.

De Diphthongo.

1. *Diphthongum produc: varia, vocale sequenti:*
   Ut Cœpi, Aeneas, aurum: præire, præustus,
   Quinque & viginti enumeravit Scioppius omnes Diphthongos, quarum subjecta exempla videto.

Aa. *Hic* Aaron *est virga crucis, quæ germina profert.* Tert.
Ae. *Miratur molem* Aeneas, *Magalia quondam.* Aen.1.
Ai. Ait *nimium parce facere sumptum. &c.* Terent.
Ao. Laocoon *ardens summa decurrit ab arce.* Aen.2.
Au. Dives *equûm, dives pictai vestis, &* auri. Aen.2.
Ea. *Nec tantùm Rhodope miratur, & Ismarus Orphea.* Ecl.1.
Ee. *Divitis uber agri, Trojæve opulentia deerit.* Aen.3.
Ei. Hei *mihi! qualis erat, quantum mutatus ab illo.* Aen.4.
Eo. *Assuetæ ripis volucres, & fluminis* alveo. Aen.7.
Eu. Heu *pietas! heù prisca Fides! &c.* Aen.6.
Ia. *Bis patriae cecidere manus, quia protinus* omnia. Aen.6.
Je. Mortale Jecur tundens, fœcundaq; pœnis. Virg.
Ii. Dii *manis, & terræ, tempestatumq; potentes.* Aen.3.
Io. Connubio *jungam stabili. &c.* Aen.1.

Iu.

Iu. *Magnanimosq; Duces* totiusq; *ex ordine gentis.* Geor.4.
Oa. *Tandem* coaluerit *ea quæ cuncta repentè* Lucr.2.
Oe. *O* Melibœe, *Deus nobis haec otia fecit.* Ecl 1.
Oi. Proinde *colore cave contingas semina rerum.* Luc.2.
Oo. *Per terras omnes, atque oppida* cooperuisse. Id.3.
Ou. *Pasco libatis dapibus*, prout *cuique libido est.* Hor.2.
Ua. Suadet *enim vesana fames, manditq; trabitq;* Aen.6.
Ue. *Lanigeræ pecudes, & Equorum* duellica *proles.* Luc.2.
Ui. *Namq; movetur aqua, & tantillo nomine fluitat.* Luc.3.
Uo. Duodecies *undis irrigat omne nemus.* Lactan.
Uu. *Sed sunt, quæ nos* distinguunt *millia passuum.* Mart.2.
Grammaticis plerumque vocata synæresis hæc est.

1. Diphthongus est sonus ex duarum vocalium sono in unum conflatus sic, ut utriusque sonus exaudiatur, & si non pari tempore; nam altera vocalium tanta celeritate profertur, ut ejus sonus vix pereat ad aures. v. Sciopp. Orthop.

Duplici constat tempore, quia duplici sono, proinde vi sua syllabas producit, sive sua nativitate longa est, etiam si in aliam vocalem commutetur, illa nimirum vocalis retinet eandem diphthongi naturam, ac vim: ut patet in *clūdo, clūsus, clōdius, focale, coliculus, cotes, colex, plodo, Plotius, fodes, &c.* pro *claudo, clausus, Claudius, faucale, cauliculus, cautes, caudex, plaudo, Plautius*: Et in secunda in *collīdo*, pro collædo: *Incīduus*, pro incæduus. *inīquus*, pro inæquus. *obēdit*, pro obaudit. *requīro*, pro requæro. *succīdo*, pro succædo. *suffōco*, pro subfauco. *præfōco*, pro præfauco, &c.

Libertate tamen poeticà diphthongus correpta legitur in *ænigma, hæresis*, & *sphæra* à Prudentio: in *hæmorrhous* à Fortunato: In *Cathæcumenus* ab eodem; & in *so-*

 læcis.

lacismus ab Ausonio. A Poetis autem Primi subsellii, nonnisi fortè ob Dialæphem Græcorum more, in *Insulæ*, *Panopeæ*, *Rodopejaæ*, *Aoniæ*, *&c.*

Variatur tamen ritè, rectèque, quoties ipsius lateri, seu humeris vocalis adhærescit: ut

Stipitibus duris agitur, sudibusue præustis. Aen.7.
Præmia cum uacuus domino præiret Arion. Th.6.
Insulæ Ionio in magno, quas dira Celæno. Aen.3.
Ulla moram fecere, neque Aoniæ Aganippe. Ecl.10.

Brevem pariter per accidens diphthongum esse docent Nonnulli; Eruditiores, negantes I, & U. vocalibus præpositas Consonantis literæ vicem assumere: ut in vocibus *Quadrijugus*, *bijugus*, jacet, jecur, Jovis, juvat, & valeo, venio, video, voco, &c.

PRÆCEPTUM III.

De Positione, & Liquescentia.

1. *Protrahe vocalem, quam consona bina sequetur,*
2. *Aut duplex*: Currunt, exercent, *sint paradigma*.
3. *L pariter geminis vocalibus* interjectum.
 Usque facit longam (ceu major Troja) *priorem*.
4. *Quod si vocalis mutæ, liquidæque præibit*.
 Jure communis erit (rêfluo, Pâtrisque, volûcres.)
5. *Dummodò vocalis non sit sua origine longa*.
 Tunc etenim nunquam rapitur: *sic* Mātris, arātrum;
 Atrum, delubrum, Candelabrumque, salubre,
 Fratris, *naturâ semper sunt longa poetis*.
 Utraque vocalem si ad consona juncta sequentem
 Non spectat, vox est pariter (velut ābluo) longa.

7. *Con-*

6. *Consona principium vocis sortita sequentis:*
Si fuerit duplex, nihilum praeeuntibus auget
Temporis, ut fiant longae: ut nemorosa Zacynthos
Virgilius; Lucanus habet: super aequora Xersem.
7. *Sed communis erit, si consona bina sequatur:*
Sulmonensis ait: Claris lucente Smaragdis.
Virgilius cecinit: date tela, scandite muros;
Atque Terentianus: vel quisque scribere curat:
Quamquam Grammatici ad cæsuras ista reducant.

1. Plurium Consonantium, vel unius, vim duarum habentis positio longam reddit syllabam, seù vocalem præcedentem: sive in eadem sint dictione, ut in *ast, astra, Terreo, Ex, &c.* sive una in calce: altera in capite subsequentis dictionis: ut *ad Coelum, sub tegmine, & mare, per sylvas.*
2. Duplices sunt X. (æquivalet enim CS, vel GS. ut in *Pax, Thrax, Lex, Phryx*) & *Z.* quæ æquipollet SS. ut *Patrizo, Platonizo, Cretizo, &c.* Atticè *Platonisso, Cretisso, &c.* Idque ideò, quia asperitate sua moram pronunciationi vocalis afferunt antecedentis.
3. I. duas inter vocales jacens, faciensque cum sequente unam syllabam, evadit duplex consonans; Ideo prisci, teste Prisciano lib. 1. eam geminabant sic; *Aijo, Maijor, Maijus, Peijus, &c.* hac ratione longam efficit præcedentem.
4. Vocalis præcedens mutam liquidæ præcedentem, si ambæ hæ spectent ad sequentem syllabam, communis est in versu (nam in soluta oratione brevis semper profertur) dum tamen non sit longa naturâ sua .i. aliunde, quam Consonantium beneficio; quamvis in prosa si dictio est hyperdissyllaba, sit acuenda antepe-

pul-

nultima, tunc quùm penultima communis est in carmine vi mutæ, ac liquidæ, ut in *cátbedra*, *He'raclas*, *Epápbras*, *Epicyclus*, *látebrae*, *tenebrae*, *scatebrae*, *lu'gubris*, *fu'nebris*, *semíduplex*, *ve'rtebra*.

5. Fallit autem hæc Regula, sive Exceptio: 1. si liquida præcedat mutam, ut in *Ars*, *Alta*, *Arca*, *Alfenus*, *Alpes*.

Secundo si muta ad præcedentis syllabæ constructionem pertineat; liquida verò ad sequentis, ut in *abluo*, *obluctor*, *obruo*, *quam ob rem*, *&c.* Tertio si vocalis sit aliunde suapte natura longa: ut *acris*, *atri*, *nutrix*, *&c.* *Volutabrum*, *Involucrum*, *Ventilabrum*, *dolabra*, *&c.*

Quae seclusa positione, adhuc longæ sunt, quippe quæ è suis radicibus longis eruperint; sicuti *Mater*, græcè μητὴς: per η longum: *Theatrum*: a θεᾶσθαι: propter id nostri antiqui scribebant *Maater*, *Araatrum*, *&c.* ut supra monui.

Poetarum nunc accipe testimonia.

. . . . *Vasto Cyclopes in antro.*	Aen. 8.
. . . . *Vastosque ab rupe Cyclopas.*	Aen. 3.
Et primò similis volu'cri; mox vera volūcris.	Met. 3.

Praeter L. & R. liquescunt græcis interdum hæ Consonantes simul κτ, κδ, πδ, λδ: idest *ct*, *cd*, *pd*, *ld*. unde apud Hesiodum *Aégyptus*: Dactylus est, & apud Martialem corripitur *ra*: in *Smaragdo*; ad quorum imitationem Latinis liquescunt dictiones his versiculis inclusae.

Moesta

Moesta Progne , *moriensque* Cygnus , *cantando liquescunt*.

Et Clytemnestra, Tecmessa , Daphne , Terapnęus , Schneumon ,

Et Dracme cum Smaragdo , Polymnestor , ignosco, signumque.

Forma captivae Dominum Tecmessae. Sapphicum. Hor. 2. Od. 4.

Donatura Cycni *si libeat sonum*. Asclep. Idem lib. 4. Od. 3.

Esse inter primos Terapnæo *à sanguine Glauci.* Sil. 8.

Delectat Marium si perniciosus Ichneumon. Mart. 7.

Quod diximus, vigere videtur , & si muta, & liquida fuerint in diversa dictione , ut in subjectis perpendere libebit.

Propontidā, trucemve ponticum sinum. Jambic. Catul.

Habebat & cuncta ultima Brittania. Idem.

Patria à meā Creatrix, (mea) *jamb.* Catull. Gall.

Lentiscus triplici solitā grandescero foetu. Cic. 1. de Divin.

Hederā gratissima Baccho. Ovid. 3. Fast.

Sunt igitur solidā primordia, &c. Lucret. lib. 1

Vindictā gravior, quam injuria. Juven. Sa ult.

6. Ceterùm si litera duplex jacuerit in principio vocis pedissequae , seu subsequentis , tunc vocalis in fine praeeuntis vocabuli sitæ naturam non immutat; cùm enim suum habeat terminum, suam cessationem , & pausam cujuslibet dictionis pronunciatio, altera alteri nullum , vel fere nullum affert praepedimentum.

7. Nihilo seciùs Poetae, veniam dantes, petentesque vicissim. Variare solent vocalem finalem vocis præviæ quo-

quoties duę consonantes occupant dictionis immediate sequentis initium.


Quam ob rem non rarò vocalem naturâ brevem producunt.

Præceleres agitē studium, &c. habet Statius lib. 6.
Aut pretio quippē-stimulo, &c. Lucan. lib. 5.
Immanē stridens agitur, &c. Silius l. 3.
. . . . gelidosque scandere tecum. Silius lib. 3.
Pro segetē spicas, &c. Tibul. lib. 1.
Occulta spolia. Juven. Satyr. 8.
Ut dignā speculo fiat imago tuo. Martial. lib. 2.
Raptā scribere, sed Vitellianis. Idem ibid.
ubi primus pes Phaleucii Choreus.

Nec jam recuso, sinefariā scripta. Catul. ad Fundum.
Hoc quid petemus esse, qui modò scurra. Idem Jambici sunt.

Spiculaque, Clypeique, &c. & *Terrasque, tractusque maris.* Virg. Aen. passim. Vid. Scioppium; Sanctium; Mariangelum, &c. Contendentes a, e, i, in fine vocis esse communes.

Verum nostri Grammatici isthæc ad Cæsuram *Triemimerim, pentemimerim, ephtemimerim*, vel *Ennemimerim* referunt, & acquiescunt.




PRÆ-

PRÆCEPTUM IV.

De Præteritis diſſyllabis, & primam geminantibus.

1. *Præterita aſſumunt primam diſſyllaba longam;*
Ut veni, vidi. *At brevibus ſe ſe addere gaudent:*
2. *Quinque, bibique, dedique, Fidique, ſtetique, tulique,*
Abſcidit, abſcīdit variant in Carmine Vates.
3. *Si geminent primam, geminatam contrahe utramque,*
Ut cecini, cecidi, peperi, pepuli, meminique;
Sic pepigi, pupugi, tetigi, tutudi, didicique.
4. *Protrahe verò à cædo cecīdi; à pædo pepēdi.*

1. Idque eſt in plurali, ut *flerūnt*, *morūnt*, *narūnt*; *nerūnt*, *norūnt*. Priſci *veeni*, *feeci*: ſcribebant.
2. Dummodo *fidi*, à findo, & non à *fido*: *ſcidi*; verò à ſcindo; eſt breve. à *cædo*, vel à ſcido, longum: hæc fortaſſe more Dialecti Atticæ, reſolventis Diphthongos in vocalem brevem.
3. Sic eſt *tetuli* priſcum.
4. Horum prima dumtaxat eſt brevis, ut etiam *tetendi*, *pependi*, *momordi*, *totondi*, *ſpopondi*, *poposci*, *cucurri*; *&c.*



PRÆCEPTUM V.

De Supinis Diſſyllabis, & Polisyllabis.

Prima Supinorum, quæ ſunt diſſyllaba, longa eſt;
Ut motum, viſum; 1. *At breviato* Quitumque, ſitumque,
Junge citumque, ſatum, litum, itumque, datumque, ratumque:
Atque rutum. 2. *Sunt longa etiam polyſillaba in* utum,
Atque atum; indutum *tibi ſint exempla, &* amatum.
In vi *præteritum, longum producit in* itum,
Audivi, auditum: *ſed* cognitum, & agnitum *ademptis.*
Ex ui itum (*ut* tacitum, monitum) *brevitate fruuntur.*

1. *Statum* etiam; à verbis. ſc. Cieo: es; queo, ſino, ſero, lino, eo, do, reor, ruo, ſto; nam *citum* à cio: cis. prima gaudet longa.
2. Hyperdiſſyllaba, i. pluſquam diſſyllaba, penultimam habent productam, ut *ſolutum, aratum, deletum, petitum*; Exceptis quae deſcendunt à præteritis. In *vi:* vocali: ut *poſui, poſitum, & vetitum, dolitum, percitum, apparitum &c.* quæ penultimæ breves ſunt: dempto *recenſitum*. non enim à cenſeo: *cenſui, cenſitum*; ſed à pervetuſto *cenſio, cenſiui*; ortum ducit.

PRAE-

PRÆCEPTUM VI.

De Derivatis.

1. *Naturam primæ vox derivata sequetur.*
Sic pes *dat* pedites; divus divina; legebam
Dat lego; *dat* reditum reditus; *dat* arator aratrum.
2. *Orta sed è brevibus producunt plurima primam.*
Ut fidus, casus, solemnis, & humidus, & vox,
Binum, statutum, nequam, lex, regula, totum,
Humanus, jumentum, denus, venaque, trinus,
Mobilis, & sedes, laterna, ac tegula, fomes.
Ceritus, chius, cubus, Rex, fluvidus, humor,
Jugera, dolia, juno, litera, ligula, nona,
Secius, & Vomer, jocundus, feria, sumen,
Macero, treceni, tomentum, secula, remus,
Junior, & pedor, vires, penuria, sena.
3. *Degenerant patribus longis hæc curta*: Lucerna,
Junge mamilla, odiumque, vadumque, sagaxque, sigillum;
Adde sudor, fragor, & femur, *adde* dicax, aqua, acerbus,
Dux, & arista, arato, genuique, disertus, acerbus,
Et fatuus, figulus, fragilis, labefacto, pusillus,
Ac titulus, stabilis, lotium, vitiumque, selibra;
Atque tagax, glomerare, pugil, motacilla, molestus.
Denique arena, quaterque, Sabinus, ofella, curulis;
Atque bubulcus inops; *usus te plura docebit.*

1. Derivata retinet Primitivorum suorum quantitatem: ut *frăternus* à *frātre*; & *pàternus* à *pātre*; &

compages à *compingo*, &c. Fallit tamen hujusmodi regula in quamplurimis vocibus, quæ quantitatis Canones excedunt apud Poetas; pro variis, quas adhibere solent Dialectis. Qua de re græcorum dialectos non parùm studiosis hac in arte Tyronibus prodesse posse, puto.

2. Hæ voces deflectunt à primigeniis in prima brevibus: assumentes primam longam: *fidus* enim &c. descendunt à *fĭdes*, *cădo*, *hŭmus*, *vŏco*, *bis*, *stătum*, *ne*, *ligo*, vel *lego*, *rego*, *tot*, *homo*, vel *humus*, *juvo*, vel *jugum*, *decem*, *venio*, *tria*, *moveo*, *sedeo*, *lateo*, *tego*, *foveo*, *Ceres*, *Chio insula*, *cubo*, *rego*, *fluo*, *humus*, *jugo*, *dolo*, *juvo*, *litura*, vel *litum*, *ligo*, *novem*, *secùs*, *vomo* .i. *terram*, *jocus*, *ferio*, vel *fero*, *à suæ*, *Macer*, *trecentum*, *τομάχω*; *sequor*, *remeo*, *juvenis*, *à podum odore*, *vireo*, *penu*, *Senones*; è contrà.

In sequentibus corripitur secunda quamvis in primitivis sit longa. *Agnitus*, & *Cognitus*: à *notus*: *blanditiæ*, à *blanditius*; *dejero*, & *pejero*, *à juro*; *Extimus*, *ab Extremus*; *indagus*, *ab indago*: *as*; *nihilum*, *ab hilum*: *naufragus*, *ossifragus*, *undifragus*, *à frango*; *Pronubus*, *innubus*, *subnubus*, *à nubo*; *Quintilianus*, & *Quintilius à Quintilis*: *Sextilianus*, *à Sextilis*; *sævitia*, *à sævitum*; *servitus*, & *servitium à servitùm*: *verecundia*, *à verecundus*: & *causidicus*, *fatidicus*, *veridicus* &c. *à dico*.

3. Hæ voces è contrario corripiunt primam in suis primitivis longam: *Lucerna* &c. *à luceo* &c. Mamma, odi, vādo: is (à quo etiam vădo: as) sagio, signum, sopio, frango, æquus, vel æquor, acer, eris, duco, areo, à notus (unde & nota) gigno, differo, acer, acris; à fatu, fingo, frango, labes, pusio, à tutando, stabam, lotum, à vitando, semilibra, tango, glomus, pugno; motus,

motus, vel moto: as, moles, areo, quatuor, ſabo, oſ-ſa, cura, vel currus: bus, vel bos.

Variant verò primam *feralis*, à feros; & *Gradivus*, à gradu.

Producunt tandem ſecundam in primitivis brevem *ambitus*: *a*: *um*; & *Comitium, ab itum*; *Conſtaturus, à ſtatum*: *diutius*, & *diutinus*, *à diuturnus*: *Lemuria*, *à Lemures*: *novitius*, *à novitas*.

Variant verò apud Vates *contudit, à tudi*: *corrigia, à corrigo*: *præputium, à puto*: *ſuſpicio, à ſuſpicor*.

PRÆCEPTUM VII.

De Compoſitis.

Dat breve ſimplex compoſitum breve: *Tum uice uerſa*
Longum dat longum, ut lego, perlego; duco, reduco.
Syllaba uocalem, aut diphthongum mutet; *At* hilum
Dat nihilum: nubo *dat* pronuba, & innuba: juro
Dejero, pejero: ſemiſopitus, ſopio: Dico
Cauſidicum, & *fratres* 1. *ſic* ambītus *ortus ab* itum.

Prima ſyllaba partis poſterioris compoſiti vocabuli tanta eſt, quanta extra Compoſitionem. Unde brevis eſt in *uenumdatum, uenumdari, circumdata, dedecus, duumuiri, propemodum* &c. quia brevis eſt prima in *datus, dari, data, decus, uiri, modum* &c. Contra verò longa eſt penultima in abutor, adulor, Commater, Inſatus, prævidi &c. quia longa itidem eſt in utor, δουλεύειν, mater, ſanus, vidi &c.

Idque etiam ſi in compoſitione mutetur in aliam vocalis,

lis, aut dipthongus vocis simplicis. Sic brevis est secunda in *eligo*, *concutio*, *conspicio*, *confiteor*, *contineo*, *despicio*, *retineo*, *conticeo &c.* quia brevis prima in lego, quatio, specio, fateor, teneo, sapio, taceo &c. longa verò in *concludo*, *collido*, *obedio*, *conquiro*, *succido*, *displodo*, *suffoco*; quoniam longa est prima in *claudo*, *laedo*, *audio*, *quaero*, *caedo*, *plaudo*, *fauces*.

Immò etiam, si simplices voces non integrae ingrediantur compositum; ut in *contigit*, *dispulit*, *oppedit*, *præcidi*; à præteritis *tetigit*, *pepulit*, *pepedit*, *cecidit* à cædo, dempto *compēgi*, si à pepigi Compositum est.

Eademque regula valet in græcolatinis: unde brevis est penultima in *Prothogenes*, *chirographum*, *Astrologus &c.* quia brevis prima in genes, prapho, logos &c. longa verò in *Bibliopola*, *Polydorus*, *Antiphona*, *Sphæreides &c.* quia longa identidem in *poleo*, *doron*, *phoni*, *εἶδος. &c.* i. propter ει, η, ω.

PRÆCEPTUM VIII.

De Præpositionibus.

1. *A, E, De, Di, Se, Tra, produc*; *sint paradigma*:
Amitto, Erumpo, Deduco, Diripioque,
Seduco, traduco; 2. *Tamen breuiato* disertum,
A dirimo: 3. *breuis est* re; remitto; *sed excipe* rēfert.
4. *Pro breuis est graecis*; *uice uersa est longa latinis*.
Si præit ad festum, fundum, neptemq; nepotem,
Et fanum, fari, fateor, *breuiato*; *Profectò*.
Atque procella, *proteruus gaudent se addere curtis*,
Cum profugit, procul, & propero, juncto proficiscor.

Pro-

Procuro *uaria*, & profundo, propino, Procuſtes.
Prōpago *uitis longa eſt; ſtirps, curta* Prŏpago.
Corripe ſub.per.ab. *atque* in.ob. ad. ſuper. anteq; circà.
Altĕra ni primas poſt conſona terga ſequatur.

1. Præpoſitiones A. E. De. Di. Se. Tra; tàm in Compoſito, quàm extrà producuntur; ſi non ſequatur vocalis. Quarè errâſſe, remur, eos, qui corripuere in *eneco, eneruo, enormis*.

2. Excipe *diſertus, dirimo, & aperio*. & *Atomus, Amazon*; & conſimilia græcanica ex A. privante compacta. licèt ob quatuor brevium neceſſitatem produci ſolent in *Athanatos*.

3. *Re*. nobis brevis eſt, & ſequente muta, ac liquida; communis: ut *recido*, & *reſſringo*. neceſſitatis tamen cauſsâ, atque ob plurium brevium concurſum produci poteſt; ut in *reliquia. religio. renuit. reperit. repulit. recidit. retulit*; nec duplicanda eſt conſonans; ut fiat longa poſitione fictâ; ſicut nec duplicatur in *Italia, Sicelides &c.*

Variam verò volunt in *reduco, refugio*, ac *refert*; imperſonali; ut vocant. Ceterùm non pauci cauſarum linguæ latinæ rimatores eam contendunt naturâ ſuâ longam; ut *de*. Nam apud antiquos *Rei, Dei*: per *ei* ſcriptas deprehendi comperere; Et dubio procul *Re* longa legitur in *refert*. apud Virg. Geor.2. in *Recidere*. Lucr. lib. 1. in *Religio*. ibid. in *Reliquiæ*. lib. 2. in *Relatum*. inibi. in *Refugiſſe*. lib. 3. in *Recidit*. Propert. & Ovid. Met. 10. in *Reducere*. Horat. Doctis dijudicandum relinquo; nùm Atticæ Dialecti more, reſoluta Diphthongo, brevis temporum decurſu evaſerit.

4. Pro

4. Pro Latinis extrà compositum semper: in composito autem crebriùs producitur. Sæpe tamen correpta, vel communis occurrit ad Græcorum Dialectorum imitationem Græcis verò plerumque corripitur. ut in *Procustes, Proconesus*; variatur in *Proserpina, Propontis*, & cogente necessitate producitur in *Prōcopius*.

PRAECEPTUM IX.

De A, E, I, O, U, priorem Vocabuli compositi partem terminantibus.

Compositi A partem semper produce priorem;
Ut trāno, *ex* E. *abbreuiato*, nefas, tepesio,
Archetypus, liquefit, madefit; *Producito* nequis;
Nequaquam, nequam, ne quando, venefica, nequid;
Nequitiam, nequicquam, nequa, videlicet. Ex I, Y.
Corripias quædam: ut sonjpes, semivir, Polydωrus,
Armipotens, bifidus, trifidus quoque, falcitenensque,
Et fidicen, Tubicen, lyricen, Palinurus, idemque,
Amnicola, Aeripeda, Arcitenensque, bidensq; tridensq;
Mellifico, Aurificem, Antidotū, Archipoeta, bilustris,
Velivolum, undisonum, Caprificus, & Amphiteatrū.
Idem *masculeum longa*, trimumque, quatrimum,
Et bimum, binum, trinum, Trinacria, ubique,
Sicubi, tantidem, quivis, bigaeque, quadrigae;
Scilicet, ilicet, & quidam, *& composta* diei.
Quatriduum *uariato, &* ubilibet, *atque* ubicumque;
Quotidie, triduum, *& pariter* Melitoton, ubivis.
Composta ex omicron breviant græci, ut Samothraces;

Arcto-

Arctophilax, holocaustum, Opobalsama, Bardocucullus,

Carpophorus, monosyllaba, juncto Pharmacopω'a,
Scripta per ωmĕga producunt Leucωpetra, *dogma est*.
Atque Geωgraphus, *insuper* Echωmetra, lagωpus.
Ni variet Dialectus in omicron, ut Geometra.
O longat latium: intrōduc, quandōque, aliōque;
Corripe quandŏquidem, *atque* hŏdie, *cum* Graecŏlatino.
U brevia; ut quadrupes, decumestris, *tum* decumanus,
Trojugena, *& prisca* indupeditus, *&* Induperator.

I. Prior compositæ dictionis pars tantam habet postremam sui syllabam, quanta esset ea extrà compositum, si per se stare, & suam quantitatem indicare potest. Unde longa est prima in ablativis *eādem*, *utrāque*, *utrāvis*, *utrālibet*, *quatenus &c.* quia longa in ablativis *ea*, *utra* &c. brevis verò in rectis, eadem, utraque &c. *Musaque*, *bellaque &c.* & in accusativis, *astrave*, *posteaquam*, *quianam*, *armaque &c.* quia brevis itidem in *ea*, *utra*, *Musa*, *bella*, *arma &c.* postea, quia, &c.

Item longa in *mecum*, *tecum*, *dieque &c.* quoniam longa *me*, *te*, *die &c.* E contra brevis in *agedum*, *antesto antevolo*, *dulceque &c.* quia brevis etiam in *age*, *ante*, *dulce &c.*

Præterea longa in *qualicumque*, *tantidem*, *quantivis*. Quia talis est in quali, tanti, quanti &c. & in *ire*, *scire &c* vel *i*, *sci*.

Longa quoque in *quoque* ablativo, & *ipsoque*, *dominove &c.* quia longa in *quo*, *ipso*, *domino &c.* Varia vero in *quandocumque*, & (secundùm aliquos) etiam *quandoque*, & brevis in *quandoquidem*, quia communis in quando.

Poſtremò tutiùs videtur produci in *genuflecto*, *cornupeta*, *uſuvenit*, *uſucapio &c.* quandoquidem producitur in *genu*, *cornu*, *uſu &c.* licet de his non dum ſatis liqueat.

Ceterum prædicta regula fallit in perpaucis: quippe brevis eſt prima in *nequeo*, *neque*, *nefas*, *nefaſtus*, *nefarius*, *nefandus &c.* & ſi longa extrà compoſitionem ſit: *ne*; prohibentis.

Tùm producuntur; *ibique*, *ibidem*, *ubique &c.* Quamvis communis ſit ultima *ibi*, *ubi*: extrà compoſitum. Denique protrahitur *Idem* maſculini generis: contrahitur verò *Idem* neutrius, cum inde derivatis, ut *totidem*, *itidem*, *indidem &c.*

Quum verò anterior compoſitæ vocis pars latinè per ſe non ità ſtat, ut ex ultimae ſyllabae regulis ultima illius partis cognoſci poſſit, in quamcumque vocalem deſinat, brevis potius eſſe videtur. veluti

In A. *Anapeſtus*, *Caſtramentor*, *hexameter*, *pentameter*, *hexaphorus*, *tetrachordum*, *decachordum*, *diametrum*, *hendecaſyllabus*, *paranymphus*, *Catapulta &c.* ſupra in verſibus poſita.

In E. *Aedepol*, *benefac*, *fabrefactus*, *calefactus*, *labefacto*, *maledico*, *ſelibra*, *ſtupefactus*, *tumefactus*; Producitur in *aſſuefacio*, *expergefacio*, *pergefacio*, *Vaceſio*, *Veneficium &c.* Variatur autem in liquefacio, patefacio, pavefacio, tepefacio, tabefacio; Modò græcè pro E, non ſit *η*; Tunc enim producetur; ut in Pentecoſte, pentemimeris.

In I. vel Y. *Alipes*, *æquinoctium*, *Angiportus*, *Anguipedes*, *Aſtypalenſis*, *bimeſtris*, *Cornicen*, *Capricornus*, *Centimanus*, *Centipes*, *Centiceps*, *Centimeter*, *Cauſidicus*, *Domicænium*, *Doctiloquus*, *Epinicion*, *Eurymedon*, *fatilogus*, *hun-*

huncine, hæccine, huccine, Iphigenia, lacticolor; *lactipedes, luctificus, Magnifico*, *multivolus*, *monticola, multiformis*, *multimodis*, *noctivagus*, *nonimestris*, *nidifico*, *mellifico, octipedis, octimestris, omniscius, omnipotens, palinodia, pericardium, pericarpium, ruricola, Semideus, sesquipedalis, sortilegus, sacrilegus*, *sagittifer, siccine, significo, Terrigena*, *tergiversor*, *testificor*, *tauriformis, versicolor*, *vulnificus*, & alia superiùs carminibus comprehensa &c.

Producuntur tamen ultrà prædicta, *pridie, postridie, tibicen, meliphyllus*. Variantur verò *meridies*, *quotidie, triduum*; *Melitoton* melius breviatur.

In O. *Acroceraunia, Androgynes, Aristophanes Bibliopola*, *Antropophagi, Cymodoce, Laomedon, Lotophagus, Lycomedes*, *Unocentaurus*, *Protogenes*, *rhinoceros*, *rhododaphne, Philomela, Sacrosancta, Sycophanta, Theodorus*; Producitur tamen in *Lagωpus &c.*& mutato ω in omicron, breviatur in *Argonauta*, & *Geometra*: ut supra.

In U. demum *Carnufex*, *dupondium*, *nenuqueo*, & in aliis versu ligatis.

Ceterum brevia, sequentibus muta, & liquida, evadunt (ut supradixi) communia, ut in *Cataphractus*, *Cataphryx, Artocreas, Epigramma, Hermaphroditus, Curviflexus, Hippocrates, Orthographia, quadruplex, semicrudus, Theophrastus, undifragus &c.*

Necessitate verò urgente producitur aliquando A. in *Hierapolis, Neapolis*, *pædagogus*; & I. in *Archimedes*, *Architectus, lucrifecit*, *Matricida*, *Parricida*, *Sacrificium*; atque O in *Leodocus, Controversia, Syllogismus, Theophila*, *Leucopetra* (quodper ω. forte scribenm.)

Et

Et pro hujus Præcepti coronide, notandum, nonnulla videri composita, quæ re vera non sunt; ut *quadraginta &c. Sanguinolentus, pulverulentus, lutulentus, luculentus, moribundus, tremebundus, lacrimabundus &c.* quædam, (uti *neutiquam, utique &c.*) num composita sint, sub Judice litem esse.

PRÆCEPTUM X.

De mediis Syllabis, seù de Incrementis nominum; & Primò de Singularis Nominis primæ, & secundæ Declinationis Incremento.

1. *Prima parit nulla, aut aliqua incrementa; ut aquãi,* Aulāi *longum.* 2. *Brevia incrementa secundæ,*
Ceu Saturi, miserique, viri; *producito* Ibēri.
Quùm rectum obliquus superat, tunc crescere dicas:

1. Incrementum dicimus illam syllabam, suprà quàm casus numero syllabarum crescit, & superat rectum Nominis, vel Verbi. Et quidem prima Nominis Declinatio quum parisyllabas habeat voces recti, atque obliqui, nullum regulariter habet incrementum; nisi fortasse cùm Poetæ solvunt Diphthongum Genitivi *ae*, in *āi*, duasque longas ex una, syllabas efficiunt; dicuntque *aquāi, aurāi, Musāi, pictāi &c.* pro *aquae, aurae, Musae, pictae &c.*

Aethereum, sensum, atque *aurāi simplicis ignem.*

Di-

Dives equûm, dives pictài vestis, & auri. Virg. Æn. 6.
Aulài in medio libabant pocula Baccho. Virg.

2. Secundæ incrementum breve est; *miser*, *misĕri &c.* Excepto *Iber*, *Ibēri*; longo: sic *Celtiber*, *Celtibēri &c.*

PRÆCEPTUM XI.

De Incremento Tertiæ Declinationis in A.

Casibus obliquis in A crescens Tertia, longa est.
Ceu Thitan, pietas, calcar; *sed jungito curtis*
1. *Nomina* al, *atque* ar *finita; ut* sal, Cesar, Amilcar,
Par, impar, compar, dispar, *cum* nectare, bacchar,
Lar, nar, mas, & anas, jubar, hepar, vas vadis *adde.*
2. *Græca quoque* As, *&* A, *corripias, cum* Pallade, dogma,
S. finita etiam, cui consona sola praeibit;
Trabs, & Arabs, cyclax, atrax, cum Dropace, smilax,
Daps, climax, antraxq; siphax, cum Mixtace, Pharnax,
Adde Atacem, panacem, colacem, coracemq; pacemq;
Atque abacem, philacem, styracem, storacemq; facemq;

1. Nomina in *al*, & *ar*; siquidem masculina sunt, breve habent incrementum; ut *Annibal*, *Annibălis*, *Amilcar*, *căris*: *Cæsar*, *Cæsaris &c.*

Si verò neutra: longum; ut *Vectigal*, *Vectigalis*, *animal*, *animālis*, *calcar*, *calcāris &c.* Exceptis &c. ut suprà.

2. Sic *stemma*, *stemmatis*, *stigma*, *Gramma*, *Dramma*, *toreuma*, *peristroma &c.* & *Pallas*: *adis &c.*

PRAE-

PRÆCEPTUM XII.

De Incremento Tertiæ Declinationis in E.

Corripit in E. Vates, crescit dum Tertia; dogma est,
Degener, *atque* teres, cum pulvere, nexque, Cerésque,
Agger, grex, anser, carcer, cum funere pubes;
Sed longus Genitivus in Enis; *dogma* Syrenis
Et Ver, luter, Iber, locuples, mercesque, quiesque,
Hæres, lex, Vervex, halec, seps, fexque, lebesque,
Ac Soter Crater, variosque adjunge tapetes.
Græcaq; Er, Es; Clyster *(dempto* aër, & æthere) magnes
Nomina in el, *peregrina quoque, ut* Michael, Michaelis.

PRÆCEPTUM XIII.

De Incremento Tertiæ Sigularis Declinationis in I.

1. *Contrabit I. crescens numero quoque Tertia primo*:
Stips, ordo, pellex, carmen, cum sanguine, Cespes;
Nomina græca tamen longant crescentia in inis,
Exemplum, Delphin, phorcyn, salamis, salaminis.
Atque itis; paradigma dabunt Samnisque, Quirisque,
Sic pariter vibex, lis, glis, dis, griphs, *quoque* Nesis.
2. Ix *etiam longa; ut* phoenix, perdixque, coturnix
At breviato salix, histrix, *cum* Japice, fornix,

Co-

Coxendixque, varixque, calix, chenixque, cilixque,
Phryx,& Erix,& onix,nix,pix, natrixque, filixque,
Sardonicis, Larycis, Calycis, fit 3. Bebrycis anceps.

1. Sic etiam græca, ut *Phillis*, *idös*, *Amarillos*, *idos*, vel *idis*.
2. Sic Bombyx &c. 3. *Salix* etiam *Salicis*. Communis eſt nonnullis.

PRÆCEPTUM XIV.

De Incremento Tertiæ Declinationis in O.

O *produc*, *ceſſit numero dum Tertia primo*;
Ut Sol, vox, velox, candor, cantorque, Sacerdos,
1. O *μικρὸν in græcis brevia*, Actæon *paradigma eſt*.
2. *ὢ μεγα produce*; *ut* Corydων, Salomων, Salomωnis.
Plura tamen variare ſolent, Orion, & Aegon.
Neutra itidem rapias, *quorum genitivus in* Oris.
Ut Marmor, Corpus, robur; *cum* Neſtore, Caſtor;
Sed longa os oris; *nomen*, *quod comparat*, *adde*,
Ceu major, melior, pejor, ſenior, ſenioris.
Sunt brevia, arbor, pus, tripus, antipus, & lepus, Impos,
Compos, & immemor, & præcox, præpoſque, memorque;
Junge his Cappadocem, Allobrogem; *tùm nomina in* ops, obs;

Ut

Ut Cecrops, hydrops, ſcrobs, ſcobs, ſcobis, Aethyopiſque.

Verùm producas Europs, Cercopſque, Cyclopſque.

1. Græcanica habentia omicron in ultima, habent incrementum breve, veluti ſunt *Actæon, ŏnis*, *Amazon, ŏnis*; & ſimilia Quintæ Declinaiionis græcorum, & tertiæ latinorum.
2. Habentia verò omega: longum habent Incrementum: uti *Platon, Platcnis*, *Arion, Amphion*, *Icon, Ixion, Canon, Daemon, Damon &c.*

Et ſi quædam in obliquis vertant ω in omicron; ut *Arionis*, *Canonis*, *Palaemonis*; quædam retineant ω, uti *Damonis*, *Palemonis*. Contrà regulas autem quidam poetæ corripuere Poſtremam in *Amon*, *Chalcedon*, *Dæmon*, *Symon*: licebit tamen horum vocativos in ων, Aeolicè vertere in ον, atque ita contrahere.

PRÆCEPTUM XV.

De Incremento Tertiæ Singularis Declinationis in U.

U. *brevia*: *ut* Præſul, tradux, *cum murmure*, turtur;
Excipe, *queis genitivus in* uris, & utis, & udis,
Ceu tellus, *virtuſque*, *palus*: *Hiſque addito* Pollux,
fur, *frux*, *lux*. Rapito *intercuſque*, *pecuſque*, *liguſque*.

AP.

APPENDIX.

De Incremento Vocum monosyllabarum Tertiæ in unum Congestarum.

Elonga ternae crescens monosyllabon omne.
1. *Ut* plebis, fecis, legis, Regis, *quoque* sepis;
Et gryphis, gliris, ditis, cum luceque, Solis,
Et litis, vocis, jurisque, *& cætera* frugis.
Contrahe sed contrà, sal, trabs, Lar, *cum face,* Mas, Vas;
Daps, Grex, nex, prex, Lybs, nix, pix, prhyx, cum vice, stix strix,
Atque etiam bos, pus, scobs, scrobs, nux, cum cruce, & dux, trux.

PRAECEPTUM XVI.

De Pluralis Nominis Incrementis in A, E, I, O, U.

Protrahe pluralem casum, qui crescit in A, E,
Atque O, Musarum, ut rerum, dominorum.
Corripe I, U. quibus, & lacubus. *longum excipe* bubus.

PRÆCEPTUM XVII.

De Verborum Incrementis; & Primò De Incremento in A.

Ultima vocalis, quam dat persona secunda
Præsentis primi, Incrementum ducito primum;
Quamque imperfecti persona secunda, secundum.
Producuntur in A. *crescentia verba; ut* amamus.
Corripe sed primum incrementum do, *ut* damus. *Adde*
Longis ipsius Incrementa secunda, dabamus.
Simplicis & legem compostum observat eandem.

Primum, seu singulare Verbi Incrementum, ut in prima persona numeri pluralis temporis præsentis indicativi, quæ voces singularis unâ syllaba præcellit: Secundum vero, seu plurale habetur primò in prima Præteriti imperfecti, ut cuique patet.

PRÆCEPTUM XVIII.

De Incremento Verborum in E.

E quoque producunt crescentia verba, ut amemus.
Corripiunt E *antè* R *ternae duo tempora prima,*
Ut legerem, legeris. Reris, *vel* rere *recensent*
In longis; dogma est: legereris, *vel* legerere.
1. *Est brevis* E, *quoties* ram, rim, ro, *adjecta sequuntur.*

2. *Et*

2. *Et* beris, *aut* bere *passivis breviato futuris*.
3. *Contrabit* (*at rarò*) *stětěrunt*, *dederuntque poetæ*.

1. Ut *amavěram*, *amavěrim*, *amavěro* &c.
2. Ut *amaběris*, vel *amaběre* &c.
3. Necessitate nimirum improba urgente, quæ a legibus eximit; qua quoque in re, græcorum poetarum exemplo, latinis licentèr agere permissum est; ut suprà &c.

PRÆCEPTUM XIX.

De Incremento Verborum in I.

Corripit I, *crescens verbum*: *ut* legĭmus; ivi
Præteriti longum est; *ut* dormivi, audivi, & abivi.
Contrabe imus; *sit dogma* cupivimus; *Attamen orta*
Ex I. *producas quartae incrementa*, velimus,
Præsens audimus, possimus, simus, & imus.
Addito Vaenimus, nolimus, cum reperimus;
Itisque: auditis, possitis, sitis, & itis.
Ri *Subjunctivi poterit variare Camena*;
Quidam in præterito longant, breviantque futuro.

PRÆCEPTUM XX.

De Verborum Incremento in O, & U.

Incrementum O, *produc*: *Exemplum est*, facitōte.
U. brevia, *paradigma tibi est*, volumusque, sumusque.

PRÆCEPTUM XXI.

De A, in fine.

1. *Longa* A *finita*; *ut* memora, contrà, antea, & ultrà;
A, ah, vah, quâ, rectâ, unâ, suprà, intereà, extrà.
2. *Corripe* ita, eja, putà, & quia, postea; *corripe casus*.
3. Rectum, & quartum, & Quintum, *ut* Musa, cacumina, & alpha,
Gamma, ò Musa, Epigramma, *atque* Orphea, sydèra; solum
4. *Produces sextum*, *ut* de prorâ, Musâ ab utrâque
5. *Inde vocativos græcos producito: ut* Athla;
Et variare potes ginta, *in* triginta, *aliisque*.

1. Ratione sc. vocalis suppressæ; ut suprà; nam Veteres in syllaba longa vocalem geminabant.
2. De *putà*, cum sit ex se verbum, non satis constat, an in Persio legendus sit: *hoc puta*, an *hoc puto*.
3. Quia brevia ab origine habita sunt. Item Græcolatina recti: ut *Cytherea*, *chorea*, vel quarti casus, ut *Phillida, Amarillida, Platona, Pallanta &c.* prò *Phyllidem &c.* Item vocativi casus in A, ex rectis in As: ut ò *Musa, Phètonta*, & in *Alpha, Beta, Gamma &c.*

Longa verò sunt desinentia in A cum iota subscripto, ut Mνᾳ, licet & corripi æquè possint.

Insuper Masculina communiter desinentia in *As*, Aeolicè exploso S. breviari possunt, ut in *Archyta, Abdia, Osea, Mida &c.* pro *Archytas*; & ita sine recursu ad Dialephem, defendi poterit Virgilius producens, cortipiensque simul in eodem versu vocativum *Hyla*,

Cla-

Clamassent, ut *littus*, *Hyla*, *Hyla*, *omne sonaret*.

Præterea Masculina in *Es*, possunt vertere in a; ut *Anchisa*, *Atrida*, *Philoctleta*, *Tyesta*, *Oresta*, *Acesta* &c. licèt *E* sit *η*.

Item fœminina interdum legunt producta in A. rectì; uti *Amalthea*, *Atalanta*, *Electra*, *Hypermnestra*, *Malea*, *Medea*, *Nemea*, *Tegea*, *Rhea* &c. vel quia aliqua ex his Jonicé desinat in *η*, vel ex rationibus suprà allatis; licèt vulgò ad vim dialęphæ, aut ad privilegium Cæsuræ hoc referant.

4. Ratione nimirum diphthongi impropriae, per Jota subscriptum designatae; Prisci enim scribebant, sextos in *ai*. uti à Musai, pictai &c.*

5. Sic ò *Aenea*, *Calcha*, *Palla* &c. de quibus vide in lib. 3. in prima nominum declinatione.

PRÆCEPTUM XXII.

De *E*. in fine;

E. brevia. 1. *At primæ græcorum nomina longa*, 2. *ut*
Calliope, Anchise: *Quintæ vocabula produc*,
Ut specie, 3. *atque* die, & fermè, Tempeque, fameque.
Adde ferè, cete, quare, & *composita* diei.
Adde doce, *similemque modum produce secundae*.
Longa etiam monosyllaba me, te, & *cetera*; *demptis*
Encliticis, que, ve, ne, & *quoque syllabicis*, pte, ce, te: *hisce*
Ritè, malè, & benè: *Sed variato* caveque, valeque,
Et vide. 5. *Tùm produc adverbia cuncta secundæ*;

Ceù

Ceu placidè, valdè, aſtutè. *Sed corripe ternae*;
Ut facilè, & turpè, & dulcè, & gravè, triſtè, & inanè.

1. E. finale vocum regulariter breve eſt; uti culmine, tempore &c. *ducite, dicite, docete, &c. currere, ſedere, audire, &c. Euge, evohe, biſce, impune, quippe, ſæpè &c.* & nomina neutra tertiae, ut hoc *dulce, ſuave, facile &c.*
2. Longum verò in Graecanicis per *η.* ſcriptis: ut in Singularibus fœmininis: ut *Aegle, Antigone, Berenice, Beroe, Canace, Circe, Clymene, Cybele, Cymodoce, Chione, Euterpe, Hebe, Hecate, Helene, Melpomene, Nerine, Nyctimene, Paſiphe, Penelope, Progne, Semele, Terpſicore, Sinope, Tisbe, Pirene, &c. Anaſtrophe, Grammatice, Rhetorice, Poetice, Gymnaſtice, lyrice, Muſice, hypallage, ſynedoche, ſinalæphe, Dialæphe &c.* quæ olim per *ee*, vel *aa* ſcripta.

Item in Vocativis in E. à Rectis in Es; ut ò *Alcide, Anchiſiade, Anchiſe; Laerte, Laertiade, Priamide, Tydide Ulyſſe;* licèt latino more corripiatur interdum in *Achille* & *Hercule*. Et in ablativis Alpe, acinace, calpe, Ganymede, Hercule, Sinope: &c. Et in Neutris *Areate*, Præneſte, Reate, Soracte, quia non per *η.* ſcripta.

3. Longum quoque eſt in ablativis quintae latinorum, ut in *die*, & compoſitis *pridie, poſtridie, &c.* ratione. ſc. diphthongi; veteres. n. dicebant, *Dieij*, pro die Vide lib. 3. dec. 5.
4. Et imperativo numeri ſingularis verborum ſecundæ conjugationis, ut in *Sile, tene, mone, Ave, ſalve, &c.* Licet varietur in *ferue, fulge, Terge, &c.* quę ſunt etiam Tertię; ut monui ſuperius atque in *Cave, Vale,*

Vide,

Vide &c. priscis enim identidem scribebantur per *ee* in fine, *docee pro doce*.

5. Scribi enim priscè solebant per *ee* uti *doctee*, *peritee*.

6. Per suppressionem fortasse alterius vocalis. Vide auctarium Mariangeli, ad scioppium, & Sanctium.

PRÆCEPTUM XXIII.

De I in fine.

1. I. *Longum*, *ut* fieri, veni, dominíque, patrique,
Sed varia nisi, *cum* quasi, *tùm* sicuti; breviabis
Haec meliùs; *variato*, mihique, tibique, sibique.
2. *Contrahe græca tamen quintæ*, *ceu* Daphni, Amarilli
Atque latina ibi, u bi, cui *non monosyllabon*: *& si*
Ista etiam variari, *usus te plura docebit*.

1. Idem est in Y.
2. Variant: sed tutius corripiuntur, tum neutra, ut Aepy, Moly, Cinnabari, gummi, hydromeli, oxymeli, Sinapi, thalassomeli: Tum mensium grecorum, ut *mesori*, *Payni*, *Phaoti*, *Pharonuti*, *Tybi*. Tum denique grecolatinorum quintę, & tertię apud latinos dativi. ut *Minoidi*, *Palladi*, *Thetidi*, *Tyndaridi*, *Phyllidi*, *&c.*

Corripiuntur autem vocativi sive in I, sive Y. ot *Adoni*, *Alexi*, *Amarilli*, *Brisei*, *Cecropi*, *Chely*, *Daphni*, *Inachi*, *Iri*, *Isi*, *lyconi*, *oebali*, *Pari*, *Phylli*, *Procri*, *Salmaci*, *Sidoni*, *Thai*, *Themi*, *Theti*, *Thety*, *Tyndari*, *Tibri*, *Tiphy*. Et etiam patronymica faeminina in *is*, *idos*. ut *Nereis*, *idos*. *&c.*

PRAE-

PRÆCEPTUM XXIV.

De O in fine.

O varia; *ut* quando, ambo, queo, cunctando, legunto;
Sed produc graeca. Androgeo, *& monosyllaba do*, *sto*,
Ergo *pro causa*; *ternum* , *sextumque secundae* ,
Ut Domino. Adeo , atque ideo, *atque adverbia nata è*
Nominibus , merito , multo , tanto , subitoque ;
At cito *corripias* , duo , *&* illico , nescio , *&* immo,
Et modo,tū *socios*, ut dummodo,quomodo,*& addunt*
Se varijs sero, vero , *conjunctio* , *&* Ergo.

1. O finita communia sunt sive nomina sint Recta ; *ut Cato* , *Milo* , *Sermo* ; sive Gerunda, ut *cantando* , *legendo* ; sive Verba ut *Pondero* , *poto* , *cano* , *ludo* , *lavo* , *cano* , *quiesco* . sic docento , amanto ; &c. sive adverbia , ut aliquando , amabò , Ergo , omnino , porro , presto , retro , &c. Sed breviari possunt atticè ut supra.
2. Sed longa sunt Grecolatina tam in Recto , quam in Obliquis , quia scripta per *ω* . ut *Alecto* , *Atho*, *Argo*, *Ino* , *Io* , *Manto* , *Sappho*, *Clio* , *Cloto* , *Erato* , *Echo* , & Interiectio *io* , Grece *ἰω*.
3. Item *flo* , *no* , *pro* , *quo* ; & Interiectiones *o* , *oh*, nisi sequatur vocalis , tunc enim variant.
4. Scribebantur enim prisco more vocale duplici,*oi*,utpote deducta ex nominibus secunde declinationis: & revera sunt sui natura nomina adjectiva sexti casus, ut etiam *Ergo* . ab *ἔργον*. Græce opus, &c. unde scribi solebant, *tantoi*, *meritoi*, *&c.* vide que dicam in lib. 3. in 2.

in 2. nominum flexione; licèt nonnulla Atticὼs breviventur.

5. Ego malè à quibusdam inter brevia recensetur, cùm natura sua sit commune, & potiori jure longum) propter ω, quo Græcè exaratur; ut ἐγὼ.

PRÆCEPTUM XXV.

De U, B, D, T, C, L, M, N, R, in fine.

1. *U. longis: brevibus B,* 2. *D,* 3. *T,* 4. *jungito; Quamvis*
T. fuerit priscis communis vatibus olim.
5. *C. produc, varia* hic *pronomen; contrahe* donec,
Et nec, fac *pariter mavult breviare Camęna.*
7. *L. breve; sed produc* sal, sol, nil*: addito Hebræa,*
Ceu Gabriel, Michael, Daniel, Nabalque, Saülque.
8. *M. cadit Ecthlipsi; at Prisci breviare solebant.*
9. *N. produc; ut* quin, Titan, Delphin, Salamin, en
Atque Syren, Simon, Corydon, & cetera ternae.
Quartosque, Aenean, Circen, *queis rectus* E, as, es,
Et græcos genitivos: Cimmeriωnque, Telonωn.
Sed quorum genitivus inis, *tu* en, *corripe rectos.*
Ut fulmen, flumen; *sic nomina græca secundæ, ut*
Pelion, Ilion, & Scholion, *quibus adjice curtis,*
Et quartos, an, in, on, *si sit brevis ultima recti;*
Ut Majan, Thetin, Aeginan, sic Scorpion, Ollan;
Et viden, in, forsan, tamen, an, men, Egon' *breviato*
Nostin' *vix breve; sed* scin, audin, *jungito longis.*
10. *R. breve; ceu* semper, turtur, precor, Hector, Amilcar;
Sed cur, fur, lar, nar, par, protrahe, & impar,

Suppar, compar; *Græca quibus genitivus in* Eris
Addito, ut Aether, aër, crater, Clysterque, Characte
Jungito Iber. *At* cor *potius breve*, celtiber *anceps*.

1. U. finita longa sunt absque exceptione, ut *cornu*, *tu*, *visu*, *gelu*; sive græca cum *ου*: ut *Jesu*, *Pantu*, *Melampu &c.* sive cum *ευ*; ut ò *Theseu*, *Orpheu*, *Atreu*.
2. B. finita brevia, ut *ab*, *ob*, *sub*; & peregrina per *ε*; ut *Caleb*; sed per *η*, vel *ω*, aliasque vocales longas, longa sunt; ut *Achab*, *Nadab*, *Jacob*, *Job*.
3. D. finita, corripe, ut *ad*, *id*, *illud*, *istud*, *quid*, *quod*, *sed*. Sed produc *haud*, ob diphthongum, & habentia vocalem longam ante D: ut *Obed*, *Aud*, quæ per *η*, & *ω*: varia *David*.
4. T. finita, brevia; ut *amat*, *dat*, *sit*, *sat*, *ut*, *velut caput*; sed produc græca, quæ per *η*, & *ω*, ut *Seth*, *Astaroth*, *Loth*, *Toth. &c.* sed varia præterita in *ijt* verbo, si sint tres breves simul; sed sæpius producuntur, sive per synæresin fiat una ex duabus syllabis, sive duobus I: sive non: ut in *adijt*, *abijt*, *redijt*, *perijt*, quibus addito *petijt*, *prosilijt*, *nescijt*: Et generaliter T. finita veteribus erant communia, ut ex subscriptis testimonijs patet. Nec pol homo quisquam *faciet* impune animatus. Alter nare *cupit*, alter pugnare paratus est. Configunt parmam, *tinnit* hostilibus umbo. Inde sibi *memorat* unum superesse laborem. Ennij sunt, *lib.* 1. 7. 14. 3.

Cetera *contemnit*, & in usum omnia ponit.
Quid sibi vult? quare *fit* intro versus, ut ad te &c.
Lucil. lib. 17. 30. Satyr.
Dum trepidant *it* hasta Tago &c.

Su-

Sustinet, ac natæ turrique canit, hymenœos.
Nec tibi Tymbre caput Evandrius abstulit ensis. Virgiliana sunt Aen.lib.9.7.5.
Portum demus, *ait*, haec hospita credite puppis. Valer. lib 2.
Et animam, & mentem &c. Juven. Satyr. 6.
Cum socios nostros *mandisset* impiu' Cyclops. Livius Andr.
Solet hortator &c. Plaut.Merc.4. 11.
Putavit me, & ætate &c. Ter. Heaut. 1.1.
Atque alia innumera, quæ omnia ad cęsuram referunt. sine necessitate tamen non imitanda.
5. C. finita longa, ut *dic, duc, hoc, sic*; & quae per ω; ut *Henoch, Sadoch*.
Sed brevia sunt *nec, donec,* & *fac*; licèt hoc ultimum varium velint, ut & *lac*.
6. F. G. finita latina non leguntur; peregrina verò regulanda sunt secundùm vocalem præcedentem: unde Cametz in Agag, & Tzerè, seu E longum hebraicè in *Doegh*, ubi græcè est η & Cholem, seu O longum in *Magog*, græcè ω: faciunt voces longas.
7. L. finita brevia sunt, ut *Consul, fel, mel, mugil, Pol, semel, simul*.
Producuntur autem, quæ Græcè in ηλ: ut *Daniel, Joel, Ismael, Gabriel, Raphael, &c.* quæ apud Hebręos habent quoque E. longum: ut *Nabal &c.* i finale producunt quidam ultimum in *Tanaquil*; quia ejus incrementum in *illis* longum; sed hoc fallit.
8. M. finita in compositione brevia sunt, ut in *Circumago, Circumeo, pessumeunt*. Idemque frequentius apud Priscos extrà compositionem; nullam enim rationem habuere Ecthlypsis; ut subscripta demonstrant exempla.

 Dum

Dum quidem unus homo Româ totâ superescit.
Insignita fere tum millia militum octo.
Nam quod fluvidum est, è levibus, atque rotundis.
Et sic *papaverum aura*: *sed dum abest*, & *cum eo*, *&c.* Ennii sunt. lib. Ann. 1. 10. & Lucret. lib. 6. & 2. 3. 5. 6. Apud Lucilium verò nedum non exteritur, sed etiam producitur; ut in his.
Praeterea ut nostris animum ostendere dictis:
Hunc ne, inquam, hyacintho hominem cortinipotentis deliciis contendi &c.
Sed postmodum invaluit, ut sequente vocali, M cum vocale praecedenti eliderctur in scandendo, & construendo carmine, ut alibi dictum &c.
Reliquum est, ut moneamus, M. in compositis à *semis*, produci; ut in *Semesus*, *Semodius*, *Semuncia*, & tutius produci Hebraica, quorum vocalis pręcedens M, longa est; ut *Seboim*, ubi grecè est ειμ: & *Esrom*, ubi ωμ.
9. N. finita longa sunt, ut *an*, *non*, *quin*, *sin*, *Delphin*, *Daemon*, *Pan*, *Titan*, *Palaemon &c.*
Item Graecolatina in En: ut *Atagen*, *Hymen*, *Lichen*, *lien*, *ren*; *Siren*, *splen*; & Accusativos Masculinos: ut *Anchisen*, *Thyesten*, *Tydiden &c.* & Femininos: ut *Circen*, *Cybelen*, *Clymenen &c.*
Insuper & tertiae apud nos in ων: ut *Corydon*, *Daemon*, *Arion &c.*
Sed corripe Accusativos in *an*. Foeminini generis: ut *Aeginan*, *Aenean*, *Cyllan*, *Idan*, *Iphigenian*, *Majan*, *Electran*, *Ossan &c.*
Item in *In*, vel *Yn*: ut *Busirin*, *Capparin*, *Charibdin*, *Chelyn*, *Daphnin*, *Elyn*, *Erynnin*, *ibin*, *irin*, *Itbyn*, *Osirin*, *Phasin*, *Themin*, *Thetyn*, *Thirsin &c.*

Item in *on*, per omicron, ut *Acheloon*, *Cerboron*, *Crocodilon*, *Cercopithecon* , *Daedalon*, *Erimanthon*, *Hyacinthon*, *Hippodromon*, *Inachon* , *Menelaon* , *Meliloton*, *Polyphemon*, *Pittacon*, *Scorpion*, *Tantalon* ; *Tartaron*, *Troilon*, & Fœmininos *Cyzicon*, *Delon*, *Delphon*, *Paphon*, *Pylon*, *Samon*, *Tenedon &c.* Secundæ ſcilicet Declinationis ; Sic, & Rectos, ut *Colon*, *Erotion*, *Glycerion*, *Planeſion* , *Ilion*, *Pelion*, *Omicron &c.*

Denique producuntur Genitivi plurales in *ων* ; ut *Epigrammaton*, *Cimmerion* &c. & nomina tertiae , ut *Corydων*, *Simων &c.*

Corripe Nomina tertiae Declinationis latina , quorum breve Incrementum in *inis* , ut *Carmen* , *Fulmen* , *Lumen*, *limen*, *Nomen*, *Numen*, *Omen*, *Pollen*, *Semen* , *Sumen*, *Vimen &c.*

P. finita brevia ſunt , ut *Volup* , pro *Volupe :* niſi tamen vocalis præcedens ſit natura longa, ut in *Joſeph*, grecè ἰωσὴφ .

10. R. finita brevia ſunt ; ut *fer* , *fertur* , *itur* , *ter*, *per* , *vincimur &c.*

Sed producuntur hæc monoſyllaba , cur, far, fur, hir, lar , nar , par , ver . Cum Compoſitis , *Compar* , *Diſpar*, *Impar*, *Suppar* : & ſi variata reperiantur apud aliquos .

Variantur Cor , & Vir.

Item longa ſunt Gręcolatina deſinentia gręcè in *ηρ* : ut *Aer*, *Aether* , *Carcer*, *Character*, *Cremaſter* , *Climaſter*, *Crater* , *Clyſter* , *Eſther* , *Gazer* , *Halter* , *Hepter* , *Ber*, *Iber*, *Luther*, *Plinther*, *poder*, *Præſter*, *Ricimer*, *Spinther*, *Joter Stater*, *Ureter &c.*

Exceptis tamen, *Celtiber*, *Mater*, *Pater.*

Poſtremò etiam longa etiam ſunt peregrina Græcè , vel

He-

Hebraicè habentia ante R. Diphthongum: ut *opbear*, aut vocalem naturâ longam: ut *Agar*, *Phogor*, *Segor*, *Thabor &c.*

Exceptis tamen græcolatinis habentibus Incrementum in *oris*, breve; uti *Castor*, *Hector*, *Acastor*, *Nestor*, *Rhethor*; licèt desinant in *ως*.

R. finale legitur passim productum, ut apud Lucilium.

Languor, oppressitque *pigror*, *torporque Quietis*: & sic *Discolor*, apud Prudentium.

O pater, o genitor, ò sanguen dis oriundum Enn.

Te Quirine pater, veneror, horamque Quïrini &c.

E sic in *puer*, *ingreditur*, *obruimur*, *trabebatur*, *pavor*, *datur*, *pater &c.* & in *Amor.* Virg.

Omnia vincit *Amor*, & nos cedamus amori.

Verum isthæc omnia ad refugium peccatorum, nempe ad cęsuram reportant.

PRÆCEPTUM XXVI.

De AS in fine.

1. As *longa*, *ut* peragas, fas, *cum* Pallante, Poetas.
2. *Sed Græcorum ternæ rectum in* adis *breviato*,
   Ut Chilias, Najas, lampas *cum* Pallade, Phębas.
3. *His quartos* Delphinas, Achaidas, Archadas *adde*.

1. S. Prisci elidere solebant, ut M. nos elidimus; & quidem sequente consonante, absumebatur in scandendo, salva vocale prævia, ut vocale, etiam sequente vocale; aut Diphthongo, ut

Longe

Longe erit à primo quiſquis ſecundus erit.
Doctus, fidelis, ſuavis homo, facundus, ſuaque
Contentus, atque beatus, ſcitus, ſecunda loquens in
tempore. Enniana ſunt; Eorumque ſcanſio erat.
Long'erit | a pri | mo | quiſqui ſe | cundus e | rit.
Doctu fi | deli ſu | avis ho | mo fa | cundu ſu | aque.
Conten | t'atque be | atus | ſci tu ſe | cunda lo | quens in.
Hujuſmodi autem Eliſio utpote nimis dura, atque aſpera, jamdiu receſſit ab Aula Muſarum.

1. As finita longa ſunt, ut *aliàs, foras, vas, cras, Aeneas, Atlas, Calchas &c.*
2. Sed corripiuntur Græcolatinorum recti, & vocativi, quorum Incrementum breve in *adis*, vel *ados*; ut *Arcas, Actias, Cephiſias, Daulias, Dromas, Dryas, Gymnas, Hamadryas, Hyas, Hebdomadas, Mœnas, Najas, Nomas, Olympias, Oreas, Pallantias, Pallas, adis, Pelias, Phaſias, Plejas, Pythias, Symplegas, Thaumantias, &c.* Quintæ Declinationis, ſed tertiæ apud nos.
3. Item Accuſativos plurales; ut *Amazonas, Adamantas, Aonas, Biſtonas, Curetas, Caras, Cycladas, Cythereidas, Echinadas, Heroas, Jaſpidas, Laeſtrigonas, Laidas, Lyncas, Machaonas, Mænadas, Naidas, Nereidas, Pæonas, Phineas, Pyrenidas, pyxidas, Seras, Sirenas, Thrachas, Titanas, Troas, Zenonas &c.*

PRÆCEPTUM XXVII.

De Es in fine.

1. *Es longum*, Anchiſes, decies, locupleſque, doceſque,
Pes, paries, aries, Abies, Carieſque, Cereſque.

2. *Cor-*

2. *Corripe sed, quorum brevis est penultima crescens Ternæ; ut* Dives, Eques, pręses, miles, pedes, hospes, Interpres, *quoque & es de sum, &* penès; *adjice græca* Dæmones, *&* Synodontes, Troades, Archades, *atque* Curetes.

1. Es finita produc &c.
2. Corripe casus singulares nominum habentium incrementum breve in *Itis*, *Idis*, *& Etis* : adde prędictis *Ales, Cespes, Comes, Hebes, Impes, Limes, Merges, Obses, Præpes, Perpes, Palmes, Poples, Seges, Sospes, Stipes, Termes, Teges, Teres, Trames, Tarmes, Veles*. Excipe *Abies, Aries, & Pes* cum compositis; licèt *Bipes* corripiatur ab Ausonio.

Item corripe Nominativos, & Vocativos plurales Græcolatinorum quintę, seù tertię apud latinos: ut *Amazones, Athlantides, Bistones, Calydonides, Curetes, Corybantes, Cyclades, Cyclopes, Crateres, Dipsades, Erynnides, Grÿphes, Lestrigones, Lingones, Najades, Orcades, Phryges, Stymphalides, Thraces, Tygrides, Tritones, Troes, Vascones, &c. Rhetores &c.*

Item Es à sum cum compositis, & *penès*, & neutra in *Es*, ut *Absynthes Cacoethes &c.*

Denique à nonnullis contrahitur es in *Fames, Lues, Proles, Plebes, Uulpes*; & à Cicerone in *Alites*, & *Pedes*, pedum, ab Ovidio in *Tygres*.

Sed producuntur Græca habentia *n* in fine; ut *Anchises, Cometes, Lebes, Moyses, seu Moses, Rhamnes, Orestes, Tapes, Ulysses &c.* & Genitivos Fœmininorum, ut *Cybeles, Semeles &c.* & malè Prudentius corripuit in *Herodes*, & alii in *Joannes*.

PRÆ.

PRÆCEPTUM XXVIII.

De Is, & Ys in fine.

1. *Est breve* is, ys*que simul*; *paradigma est* itys, & inquis;
2. *Sed* Musis, Urbeis, *plurales protrahe casus*.
3. *Et* lis, glis, scis, sis, is, sis, *compostaque*, *ut* adsis.
4. Vis *verbum*, *& nomen*, *quartæ vocesque secundas*
Primi: ceu Sentis, Audis; nolisque, velisque.
5. *Et quorum est Genitivus in* inis, & itis, & Entis.
Longus: *uti* Salamis, Samnis, Symois, Pyroisque.

1. *Is*, & *Ys* finita brevia; ut *Avis*, *Apis*, *Capys*, *Carminis*, *Chelis*, *Chlamys*, *Nobilis*, *Luminis*, *Patris*, *Paludis*, *satis*, *scribitis*, *Virginis*, *vultis &c.*

Sed produc monosyllaba; *Dis*, *fis*, *glis*; *is*, *& sis*, verba, *bis*, *mis tis*, *quis*, vel *queis*, pro *quibus*, *lis*, *scis*, *vis*, verbum, & nomen cum Compositis, aut derivatis, ut *adsis*, *abis*, *quamvis*, *quivis*, *nobis*, *transis &c.* Varia tamen, *bis*, *nescis*, *possis*, *velis*; & brevia *quis*, & pronomen *is*.

Produc etiam adverbia *foris*, *deforis*, *gratis*.

Item plurales casus in is, ut *Musis*, *Vobis*; sed varia *pulvis* in singulari.

Produc quoque Indicativos singulares Verborum quartæ, ut *Audis*, *sentis*, *dormis*, *& scis*, *& cis* à cio.

Demum ea, quorum incrementum longum in *entis*, *inis*, *itis*: ut *Sammis*, *Quiris*, *Simois*, *Pyrois &c.*

Ceterum præterita, ac futura conjunctivi in singulari frequentissimè variantur. Communiùs tamen, si eo-

 rum

rum antepenultima est longa, sequente vocali, corripiunt ultimam; producunt verò, si eorum penultima brevis est. Unde corripiunt in *dixeris*, *junxeris*, *egeris*, *feceris*, *quæsiveris*, *videris*.

Aetheris immensi partem si *presseris* ullam. Luc. 1.

Producunt è contrà in *audieris*, *biberis*, *dederis*, *ceperis*, *credideris*, *fueris*, *perdideris*, *reddideris respueris*.

Astiteris, *impune trabes &c.* Val. Flacc. lib. 3.

PRÆCEPTUM XXIX.

De Os in fine.

1 *Longa os*, *ut* Dominos; 2. *& græca per omega*, *ut* Athως, Androgεως, herως; 3. *sed corripe* Compos, & impos
Osque ossis; 4. *Græcorum*, *& neutra*, chaos, melos, Argos.
Addito ad Ausoniam traductaque Græca secundam,
Ut Synodos, Tenedos, Logos; Ilios, *atque* Zacynthos;
5. *Et Danaûm genitivos*, Tetidos, Orpheos, *adde*.

1. Os finita longa: ut *bos*, *nos*, *vos*, *meos*, *illos*, *Nepos*, *os*, *oris*, *&c.*

2. Item Græcolatina habentia ω, ante s; ut *Amως*, *Minως*, *Trως*. Item recti, & genitivi Atticè in εως; à nominibus in ευς.

3. Corripe: etiam *Exos*: ab *os*, *ossis*.

4. Item Græcanica habentia omicron; qualia sunt neutra: *Argos*, *Chaos*, *Melos &c.* & quæ latinè desinunt in *us*, & Græcè in *os*: ut hic *Belos*, *Nessos*, *Entheos &c.* & hæc *Arctos*, *Atropos*, *Claros*, *Cypros*, *Delos*, *Gnidos*, *Lambros*, *Lebyatos*; *Lesbos*, *Lotos*, *Naxos*, *Neritos*,

Paphos, *Samos*, *Tyros &c.*

5. Denique & Genitivos Singulares tertiæ Latinorum, & quintæ Græcorum; ut *Aganippidos*, *Aeneidos*, *Erymanthidos*, *Nereidos*, *Nereos*, *Pallados*, *Procidos*, *Phoroneos*, *Sphyngos*, *Tereos*, *Tethyos*, *Thesteos*, *Tydeos*, *Typhoeos &c.*

Et Cæsuræ adscribunt, ubi producta legitur ultima in *Aglaodos*, *Compos*, *Eurytidos*, *Ombos*; & in recto *fagos* in Georg. 2. Virgiliana.

Castaneæ fagos, ornusque incanuit albo.

PRÆCEPTUM XXX.

De US in fine.

1. *Corripe* us, *ut* Deus. 2. *At produc monosyllaba* mus, sus
Plus, thus, crus, grus, jus, pus, rus; 3. *& nomina quorum*
Est longus Genitivus in utis, *&* uris, *&* udis,
Atque untis, *veluti* virtus, tellusque, palusque,
Atque Amathus; 4. *pariter producito nomina quartæ*,
In primo patrio, & rectum, quartumque secundi,
Et quintum, ut Sensûs. 5. *His addito composita è* pus.
6. *Græcaque contracta, ut* Panthus, Didus, *quoq*; *Manthus*.
7. *Longa & in* ευς, 8. ους; Atreus, Orpheus, *&* Briareus;
Ac Magnum nomen JESUS, *cui gloria, lausque.*

1. Us finita, corripiuntur; ut *intus*, *ludus*, *munus*, *motibus*, *omnibus*, *secùs*, *segniùs*, *durius*, *diximus*, *callidus*, *movimus &c.*

2. Produc monosyllaba, ut in textu.

4. Tùm nomina quartæ Declinationis. In genitivo singu-

 gu-

gulari (nàm rectus, & Vocativus est brevis) in Nominativo, Accusativo, ac Vocativo plurali; ut *Anus*, *Arcus*, *Artus*, *Cantus*, *Casus*, *Cætus*, *Cenatus*, *Cursus*, *Domus*, *Fructus*, *Foetus*, *Gemitus*, *Gradus*, *Gressus*, *Lacus*, *Lapsus*, *Manus*, *Metus*, *Motus*, *Nurus*, *Nutus*, *Partus*, *Versus*, *Vultus*, *Occasus*, *Ortus*, *Portus*, *Risus*, *Reatus*, *Sinus*, *Sonitus*, *Senatus &c.*

5. Habentia Incrementum in Genitivo longum in *udis*, *utis*, *uris*, *untis*: ut suprà, adde *mus*, *salus*, *& opus*, *opuntis*, *Trimitus*, *& Emmaus*.
6. Formata à πȣ̃ς: ποδὸς. uti scilicet *Lagopus*, *Chloropus*, *Antipus*, *Oedipus*, *Polypus*, *Tripus*, *Melampus &c.*
7. Græcanica habentia Genitivum in *oos*, contractum in *us*; ut *Dido*, *Didoos*, *Didus*, *Clioos*, *Clius*, *Manthoos*, *Manthus*: ratione vocalis suppressæ.
8. Græca etiam in Diphthongum *ευς*; ut *Orpheus*, *Atreus &c.*
9. Desinentia in Diphthongum *ους*; ut Sanctissimum Nomen JESUS, cujus Gloriæ, Laudi, Honori hoc Opus, quale quale est, dicans, adorabundus Calamum suspendo, finemque Operi impono.



AP.

APPENDIX I.

De Pedibus,

Pes eſt quædam Carminis menſura, & pars, certo ſyllabarum numero, ordine, & quantitate conſtans, quo verſus quaſi progreditur.

Sunt autem pedes alii diſſyllabi, alii tryſyllabi, alii quadriyllabi, & alii penteſyllabi.

Diſſyllabi.

ōmnēs = ſpondeus - - : contrà Pyrrhichius = *Pĭŭs*
vīncĭt = choreus - ˘ : Jambus = *vĭrōs*.
ſive Trocheus.

Triſyllabi.

ǣnēās = Moſſolus - - - : contrà Tribachys = *tŭmĭdŭs*.
Cārmĭnă = Dactylus - ˘ ˘ : Anapeſtus = *rĕsŏnānt*.
lăbōrēs = Bacchius ˘ - - : Antibacchius = *pērpēſsŭs*. Rhodius
Īmprŏbōs = Creticus - ˘ - : contrà Amphibrachys = *pĕtīvĭt* ſeu Amphimacrus.

Tetraſyllabi;

ōrātōrēs = Diſpondeus - - - - ; contrà Proceleuſmaticus = *(rĕtŭlĕrăt*.
cīvĭtātĕ = Dichoreus - ˘ - ˘ ; Dijambus = *Quĭēſcĕrēnt*.

nōbĭlĭtās = Choriambus -ᴗᴗ- : contrà Anapestus = *rĕcūsātă.*
călcărĭbŭs = Jonicus à majore - - ᴗᴗ : Jonicus à minore = *fŭgĭendī.*
ăspĭcĭtĕ = Pęon primus - ᴗᴗᴗ : Pęon Quartus = *călămĭtās.*
pŏtĕntĭă = Pęon secundus ᴗ - ᴗᴗ : Pęon tertius = *mŏrĭāntŭr.*
rĕpĕntīnī = Epitritus primus ᴗ - - - : Epitritus quartus = *pūgnābāmŭs*
cōndĭtōrēs = Epitritus secundus - ᴗ - - : Epitritus tertius = *dīscōrdĭē.*

Quinquesyllabos unius apud Poetas.

Dochimus = ᴗ - - - - : *Rĕīpūblĭcē.*

Pro cujus tabulæ explicatione nota, quod pedes à tergo positi, & notati per ly *contrà*; habent quantitatem contrariam pedibus ex adverso sitis: uti si spondeus duabus longis: Pyrrhichius duabus brevibus constat syllabis; Ubi verò Tò *contrà* non est; Quantitas eadem numero ex adverso tamen numerata, est quantitas pedis è Regione locati; ut intuenti patebit.



AP.

APPENDIX II.

De Verſibus.

Verſus à Vertendo, ut *Carmen* à canendo, dictus. Eſt oratio, certo genere, numero, & ordine pedum non ſine concentu alligata.

Verſuum plerique ſcanduntur *Monopodia*, ideſt pedibus ſimplicibus, veluti *Exameter &c.* Nonnulli etiam *Dipodia*, ideſt pedibus duplicatis, uno ſcilicet metro duos pedes complectente: uti *Jambici*; & *Trochaici*; Unde *Jambicus Diameter* vocatur, qui quatuor conſtat pedibus ſimplicibus; *Trimeter*, qui ſex; *Tetrameter*, qui octo.

Porrò *Acatalecticus* verſus eſt integer, cui nulla deeſt ſyllaba, nulla abundat.

Catalecticus verò, cui una in fine deeſt ſyllaba.

Brachycatalecticus, cui in fine pes integer deeſt.

Hypercatalecticus, ſive *Hypermeter*, in cujus fine ſuperat una ſyllaba, ſive ad ſubſequentem verſum ſpectet, ſive non.

In Lyricis autem *Ode* dicitur *Monoſtrophos*, cujus ſtropha unico Carmine abſolvitur; ut

Mecaenas atavis edite Regibus. Hor.1.

Diſtrophos, cujus ſtropha duobus, *Triſtrophos*, cujus tribus; *Tetraſtrophos*, cujus quatuor verſibus conſtituitur.

Monocolos verò, cujus ſtropha unico carminum genere conſtat; ut *Mecaenas, atavis &c.*

Dicolos, cujus ſtropha duobus carminum generibus conſtat,

ſtat, uti *Sapphico*, & *Adonico &c.*

Tricolos, quæ ex triplici carminum genere conflata eſt, ut Aſclepiadeo, Gliconio, & *Alcbaico* &c. ſed de his in poetica agemus, &c.

Porrò ex innumeris verſuum ſpeciebus Nonnullas hic faciliores in Tyrunculorum gratiam recenſebo.

1. *Hexametrum* Carmen ſex metris, ſeu pedibus conſtat, quorum priores quatuor promiſcuè dactyli vel ſpondei eſſe poſſunt, quintus neceſſario dactylus, & Sextus ſpondeus, vel choreus uti.

Arma, virumque cano. Trojæ qui primus ab oris.

Hoc ſpondaicum dicetur quum quintus pes erit ſpondeus;uti..

Clara Deum ſoboles; Magnum Jovis incrementum.

Dactylicum verò quum omnes quinque priores dactylos habebit; ut.

Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula Campum

Hypermetrum, erit, quum una ſyllaba in fine redundabit, abſumenda regulariter a ſequenti verſu, qui ex vocali idcirco incipiet; ut per Ethtlipſim, vel per ſynalephen eam abſorbeat ut Georg. 1..

Et d[illegible]is *muſti vulcano decoquit humorem,*
Atque folijs undam. &c.

2. PENTAMETRUM quinque pedibus componitur; quorum duo primi ſunt ad libitum, dactyli, vel ſpondei, vel permixti, inde ſemipes, cæſura, ſeu ſyllaba adnectitur regulariter longa: Tùm duo dactyli, & denique alia cæſura longa, vel brevis. ut

Gaudia non remanent, ſed fugitiva volant.

Prima cæſura carmen bifariam dividere debet ita, ut totam finiat dictionem; quod ſi fortaſſe cum dactylo ſequente conjuncta reperiatur, tunc ceſſante cæſu-

re ra-

ræ ratione, diverſo modo ſcandetur; Primo nimirum pede *Anapeſto*.2.*Spondeo* 3.*Anapeſto*, & 4. *itidē Anapeſto*.

3. *Adonium* Carmen conſtat Dactylo, & Spondeo; ut

Nubibus atris;
Condita nullum
Fundere poſſunt
Sydera lumen. Boet.

Solet adnecti Sapphicis; ut

Jam ſatis Terris nivis, atque diræ &c.
Terruit Urbem. Hor.

4. *Alcbaicum*, *Choriambicum*. Conſtat Spondeo, tribus Choriambis; & Pyrrhichio. Hor.

Tu ne quæſieris, ſcire nefas, quem mihi, quem tibi.

5. *Alcbaicū Dactylicum* conſtat dupliciSpondeo,vel Jambo; cæſura longa, & duobus Dactylis. Hor. lib. 1. Od. 9.

Vides, ut alta ſtet nive candidum &c.
Odi profanum vulgus, & arceo &c. lib. 3. od. 1

6. *Anapeſticum*, *Archilochium*. Conſtat quatuor Anapeſtis, aut Spondeis; primo verò, & tertio etiam Dactylus. Senec. Hercul.

Turbine magno ſpes ſollicitæ
Urbibus errant, trepidique motus &c.

Elegantior eſt, ſi cæſuris caret. Admittit, & quandoque ſecundo loco tribachum, & Dactylum, & in quarto Dactylum, ut apud Senec. in Medea.

Non erat uſus, non dum Pleidas.

7. *Anapeſticum Parthenìacum* eſt, cum eſt Catalecticum, una ſcilicet ſyllaba mutilum; ut Martian. Capell. lib. 2. & Boet. lib. 2. Met. 5.

Caput artibus inclyta Virgo,
Felix nimium prior ætas &c.

8. *Asclepiadeum Choriambicum*. Constat Spondeo. duobus Choriambis, & Pyrrhichio; vel facilius Spondeo, Dactylo, Cæsura longa, & Duplici Dactylo; ut Hor. lib.1.

Mecœnas Atavis edite Regibus.

Seneca substituit primo loco Dactylum, & secundo Molossum; ut & Cappella &c.

Perrupit Acheronta Herculeus labor &c.

Catalecticum est unâ mancum syllaba, ut

Mecenas Atavis edite Sceptris.

9. *Choriambicum Aristophanium.* Conflatur Choriambo, & Amphibraco, ut *Purpureus tyrannus.*

Choriambicum verò Sapphicum tribus Choriambis, & Amphibracho: ut

Dulcisonæ Pierides continuò favete.

10. *Dactilicum* Adonium est, de quo supra: *Hymeniacum* Constat duplici Dactylo, ut *Tibia personet.*

Archilochium, duplici Dactilo, & Cæsura, ut *Palleat omnis amans.*

Alcmanium, duplici Dactylo, & Spondeo: vel præposita his syllaba longa, ut

Jam spargite fletibus ora, v. Boet. 3. 5.

Alcmanium Dimetrum Acatalecticum, tribus Dactylis & Spondeo; ut Hor. lib.1. Od.7.

Aut Ephesum, bimarisve Corinthi.

Et aliud constans duplici Dactylo, & Dichoreo.

Flumina constiterint acuto. Horat. sæpè.

Archilochium aliud trimetrum constans primis quatuor Dactylis, vel Spondeis, deinde triplici Choreo, ut Hor. lib.1. Od.4.

Solvitur Acris hiems grata vice veris, & Fauoni.

11. *Glyconium* constat primo Spondeo, vel Trocheo,

tum

tum duplici Dactylo; ut

Ignis Iliacas domos. Horat.

Quem tu Melpomene semel &c. Hor. lib. 4. Od. 3.

Admittit, & secundo loco Spondeum apud Senecam.

12. *Hendecasyllabum Phaleucium*, *Alcaicum*, *Sapphicum*, *& Jambicum &c.* est. Vide suis locis.

13. *Jambicum Aristophanicum.* Constat duplici Jambo, & Cæsura; admittit tamen primo loco spondeum, ut

Fluit silenti
Valles per Imas
Gradu Metaurus.

14 *Jambicum Euripidium*, Dimetrum, & Brachycatalecticum constat triplici Jambo; recipit tamen primo, & tertio loco Spondeum, & Pyrrhichium; ut

Ave Maris Stella,
Dei Mater Alma

15. *Jambicum Anacreonticum;* Constat triplici Jambo, & Cæsura: Admittit tamen primo loco Spondeum, & Anapestum: & interdum etiam tribachum, ut Boet.

Sat est quiete dulci
Possum fovere Corpus &c.

16. *Jambicum Archilochium*, Dimetrum Acatalecticum. Constat quatuor Jambis, & admittit locis imparibus Spondeum, & rarò Anapestum, aut Tribachum. Hor. Epod.

Ut prisca gens mortalium:

& Ecclesia: *Vexilla Regis prodeunt &c.*

17. *Jambicum Archilochium*, Dimetrum Catalecticum; una minus syllabâ est.

Deus potenter Astra
Nutu vocavit uno.

Hypercatalecticum unâ abundat syllabâ:

Sylvæ laborantes, geluque. Hor.

18 *Jambicum Alcmanium*, Trimetrum brachycatalecticum: quinque conflatur pedibus, quorum pares. I. secundus, & quartus Jambi: Reliqui, vel Jambi, vel Spondei, vel etiam Tribachi, aut Anapesti: uti

Spernis decoros Virginis thoros.

18. *Jambicum Hipponacteum*, Trimetrum Catalecticum. Constat quinque pedibus, & Cæsura; quorum secundus, quartus, & quintus Jambi; primus, & tertius Jambi, vel Spondei: ut

Ternos vetusti congios falerni
Uno die Conviviis peractis,
Hausit potentum Romuli nepotum &c.

19 *Jambicum Senarium*, sive Archilochium Acatalecticum, si purum, solis conflatur Jambis: Si mixtum, admittit locis imparibus Anapestum, Tribachum, Spondeum, & Dactylum. Quin etiam secundo, & quarto Tribachum; ut sæpe Tragicum, & Comicum ad majorem servandam gravitatem. Puri Jambici sunt apud Catull.

Phaselus ille, quem videtis, hospites,
Ait fuisse navium celerrimus. & Hor.
Beatus ille, qui procul negotiis.

Tragici verò: Ex Senec. Hercul. fur.

O magne Olympi rector, & Mundi arbiter &c.

Comici demum ex Terent. Andr.

Qui utramvis rectè norit, ambas nouerit &c.

& Eunuch. prolog.

Si quisquam est, qui placere se studeat bonis &c.

20. *Phaleucium Hendecasyllabum*. Constat Spondeo, Dactylo, & tribus Choreis,

Hic

Hic est, quem legis, ille quem requiris,
Toto notus in Orbe Martialis. Mart. lib. 1.

Admittit & prima in Sede choreum apud Catull. & apud Martialem fortasse etiam.

21. *Pherecratium*: Constituitur Spondeo, Dactylo, & Spondeo; ut Horat. lib. 1. Od. 5.

Grato Pyrrha sub antro.
Nigris æquora uentis &c.

22. *Sapphicum*: Constat Choreo, Spondeo, Dactylo, & duplici Choreo, ut

Pindarum quisquis studet æmulari,
Julo, Ceratis ope dædalea,
Nititur pennis uitreo daturus.
Nomina Ponto. Hor. lib. 1.

Adjecto, (ut vides) ternis Sapphicis Adonio.

Admittit secundo loco Choreum, &c.

Otium Catulle tibi molestum est:
Seu sacas, Sagittiferosque Parthos. Catul.

Quin & Sappho in quarta sede Spondeum, & secunda Dactilum aliquoties posuit.

Et Seneca etiam, qui primo loco pariter adposuit Spondeum, Dactylum, Anapestum, & secundò Jambum.

Elegans erit in Sapphico componendo post primos pedes Cæsura, cujus privilegio nonnumqnam syllaba brevis evadit longa, ut apud Hor. lib. 3. Od. 8.

Docte sermonis utriusque linguæ.

Denique ad Græcorum imitationem in fine Sapphici Latini aliquando vel dictionem dissecant, residuumque in sequentem versum transferunt; vel versa vice syllabam precedentis redundantem initio sequentis absumunt; ut Hor. lib. 1. Od. 2.

Labitur ripa, Jove non probante Uxorius amnis
Thracio bacchante magis sub interlunia vento.
lib.1.Od.25.

23 *Scazon*, seù Choriambicum, est Jambicum senarium, sed Claudicans. habet enim loco ultimi Jambi spondeum ita tamen, ut in penultimo habeat Jambum. ut Pers. improem. Satyr. I.

Nec labra fonte prolui Caballino, &c.

24. *Trochaicum Ithyphallicum* dimetrum Brachycatalecticum, constat Tribus Trocheis, seu Choreis. uti.

Bacche junge Crines.

25 *Trochaicum Euripidium*, Dimetrum Catalecticum constat tribus choreis, & Cæsurâ. Recipitque primo, Secundo loco spondeum; uti

Corporis mysterium.
Lauream certaminis, &c.

26. *Trochaicum Alcmanium*, Dimetrum Acatalecticum, constat quatuor trocheis, Recipit secundo, & quarto loco spondeum, & primo pyrrhichium. ut

Pange lingua gloriosi.

27. *Trochaicum Bacchylidium*, dimetrum Hypercatalecticum Syllabâ superat precedens. uti

Floribus Corona nectitur.

28. *Trochaicum Hipponacteum;* Tetrametrum Acatalecticum; Constat octo pedibus, quorum impares sunt trochei; pares verò Trochei, aut Spondei.

Pelle tonsis terga ponti, vela tende, jam pergamus.

Hoc adiecta in fine syllabâ, facies Trochaicum Anacreonticum apud Comicos latiori gaudet areä; nam omnibus locis admittit compares Spondeo, nempe Anapestum, & Dactylum; & compares Trocheo,

ni-

nimirum Jambum, & Tribachum; ultimo tamen excepto.

29. *Trochaicum Galliambicum*, Tetrametrum Acatalecticum; Conſtat Trocheis; vel partim Trocheis, partim Pyrrichiis; & non adeò libentèr recipit his compares, ut Catull.

Super alta vectus Atys celebra rate Maria.

30. *Trochaicum Sapphicum*, Trimetrum Hypercatalecticum; Conſtat ſex pedibus, & Cæſurâ; quorum impares Trochei; pares verò etiam Spondei: veluti.

Urit æſtus prata: cor cupido lancinat.

31. *Trochaicum Archilochium*; Conſtat Trochaico Alcmanico,& Euripidio ſimul junctis. Recipit autem ſeptem pedes, & adhuc ſyllabam; horum impares Trochei: pares verò etiam Spondei; & ſi mixtum ſit admittit quoque his compares, dum tamen ſeptimus ſit Trocheus.

Elegantius habetur, ſi Cæſuris careat, ſaltem poſt quartum pedem: ut

Pange lingua glorioſi lauream Certaminis.

Licèt ſeparata etiam ſcribi poſſint.

Poſtremò quòad Carminum mixturas vide Horatium, & alios probatos Poetas; Non enim hæc ſibi locus ſpectacula poſcit.



AP.

APPENDIX ULTIMA:

De Figuris ad Prosodiam, & Versuum Scansionem pertinentibus.

1. *Syllaba de duplici facta una*, Syneresis *esto*.
2. *Dividit in duplicem huic adversa* Dieresis *unam*.
3. *M. vorat* Ecthlipsis, *ceù vocalem* 4. Sinalepha.
5. Ectasis *elongat; breviat sed* 6. systola *vocem*.
7. *Principium apponit* Prothesis, 8. *quod* Apheresis *aufert*.
9. Syncopa *de medio demit, quod* 10. Epenthesis *addit*.
11. Apocope *finem scindit, quem dat* 12. Paragoge.
13. Tmesis *verba secat, verbumque interlocat unum*.
14. *Literulam* Antithesis *mutat, nullo ordine verso*.
15. *Denique mutato* Meta, *sed* thesis *ordine transfert*.
16. *Syllaba fine brevis*, Cæsuræ *munere longa*,
Longaque fit brevis, aut anceps, vocale sequenti.
Exigit hæc Poesis; Pictoribus, atque Poetis
Quidlibet audendi concessa est ampla libertas.
Scimus, & hanc ueniam petimusque damusque uicissim.

1. *Syneresis* est coarctatio duarum syllabarum in unam absque Diphthongo; ut in prima syllaba, & secunda: *Aëta*, *Aëripedem*, *deerit*, *deerat*, *deest*, *dehinc*, *deinde*, *deorsum*, *Dii*, *Diis*, *duodecies*, *eadem*, *ei*, *eodem*, *eorumdem*, *eosdem*, *iidem*, *Phaeton*, *prehendo*, *prehensus*, *rei*, *seorsum &c.*

In ultima verò: *Aerii*, *alii*, *alueo*, *antehac*, *Antonium*, *Aurei*, *auium*, *Consilium*, *Cerea*, *Enipeo*, *ferrei*, *hæreat*, *aliis*, *lynceis*, *omnia*, *Orpheo*, *psalterium*, *petii*, *Terei*, *Tiphoea*, *Vestigiis*. In

In media demum. *Abjete*, *Abjegnus*, *arietat*, *Ariete*, *Alvearia*, *anteambulo*, *anteirent*, *denarius*, *Ecclesiam*, *contraire fluviorum*, *parietibus*, *sinuatus*, *tenuia*, *tenuviore &c.* *Rejice capellas*, *Ajacis oilei.* Virg.

2. *Diæresis*: est resolutio unius syllabæ in duas: ut *cũi*, *Dii*, *búic*, Elaüdo, *súẽtus*, *solüit sylúæ̀*, *Trója*; *Aënëus*, *dissolúõ*, *evolúõ*, *pitũita*, *sinúëssa*, *Elegëia*, *evolúisse*; & *aulãi*, *aurãi*, *aquãi*; & *alicũi &c.* Tib. *pectoris evolüam.* Catul. *persolúenda mihi* Ovid.

3. *Ecthlipsis*: latinè *defectus*, Elisio; est quando M. cum vocali præcedenti in scandendo, & construendo Carmine, absumitur à vocali, vel diphthongo sequenti; ut *Italiam*, *Italiam*: scanditur *Itali*, *Itali &c.* *Magnum*, & *memorandum est*: *Magn'*, & *memorand' est*.
Priscis etiam S. elidebatur, *ut superius dixi &c.*

4. *Synalephe*: est cum ultima vocalis, aut Diphthongus ità à vocali, aut Diphthongo sequentis dictionis absumitur: ut posterioris tantum in scansione, & in quantitate ratio habeatur; ut *Ille ego*. *Ill'ego*. *Musa amat*; sic *Mus'amat*. Vel è contrà absumitur sequens: ur *Musa est*: *Musa'st*, *&c.*

Dialæphe è contrà est, cùm in versu Synalephe negligitur; ità ut vocalis præcedens, non solum non absorbeatur; sed & possit ex se in fine longa corripi, aut ex se brevis, produci: ut

Clamassent, *ut littus*, *Hyla Hyla omne sonaret*.
Clamas - sent ut - littus Hy - la Hyla - omne so - naret.
Glauco, & *Panopeæ*, & *Inoo Melicertæ*. Virgil.
Glauco - & Pano - peæ & - Ino - o Meli - certæ.

5. *Ectasis*, sive *Diastole*, est productio syllabae alioquin brevis: ut *Exercet Diana Choros*. Æn. 1. & in penultima. *Fcerīmus*, *dederītis*, *transierītis tulerītis*, *&c.*

6. *Systole*, est cùm syllaba aliàs longa commoditatis, aut Elegantiæ gratia corripitur; ut *obstupui, steteruntque Comæ, & vox faucibus hæsit*. Virg. Sic in *dedĕrunt, fecĕrunt, adfuĕrunt, astitĕrunt, bibĕrunt, miscuĕrunt, palluĕrunt, profuĕrunt, tenuĕrunt, tulĕrunt.*

7. *Prothesis*: est additio literæ, vel syllabæ principio dictionis: uti *gnatus, gnavus*, pro natus, navus; *retuli*, pro tuli: *Retulerunt semina aquarum*. Lucr. *Astat*, pro stat &c.

8. *Aphæresis*: est, cum ab initio vocis aliquid amputatur, demitur, ut *temno, ruo, linquo*; pro contemno, eruo, relinquo: *ruet omnia latè*. Virg. 12. Aen. pro *eruet*: sic *texit*, pro protexit, *lego*, pro colligo: *ponunt*, pro deponunt: *ponuntque ferocia pœni*. Aen. 10. 1. deponunt, & per *sydera testor* Aen. 3. pro obtestor.

9. *Syncope* est cum litera, vel syllaba de medio dictionis subtrahitur, adimitur ut in *aethra* pro aethera, *Aspros*, pro Asperos; *Calda*, pro Calida; *Calfaciendus*, Calfactus pro Calef, &c. *Cærulus*, pro Cæruleus; *Circlus*, pro Circulus; *Dædalus*, pro Dædaleus; *Dispostus*, *Compostus*, &c. pro Dispositus Compositus, &c. *Domnus*, pro Dominus; *Expostus*, pro Expositus; *Eburnus*, pro Eburneus; *Ficulnus*, pro Ficulneus; *Fodentes*, pro Fodientes; *Gubernaclum*, pro Gubernaculum; *Lamna*, pro Lamina: *Lapique*, pro Lapideque; *Lardum*, pro Laridum: & sic *Maniplum, Mulcibri, Nomenclator, Oraclum, Periclum, Polybmnia, Puertia, selibra, Semuncia, Seclum, Dextra, Soldus, Spectaclum, Tabla, Vincla*.

Et Genitivi contracti: *Divûm, Deûm, Danaûm, Macedûm, Virûm &c.* pro Divorum, Deorum, Macedonum, Virorum, &c.

Tùm

Tùm in Verbis: *Amâsti, amârunt, addûsti, accestis*; *calfecit*; *custodibant, dixti, erepsemus, evasti, extinxem, flarunt, flerunt, flutat, implerunt, largibar, morunt, mostis, norunt, norint, possem, nosso, operibat, abicit, obicit, reicit, subicit, perisse, porgo, porgentur, porxit, porxexet, possidat, promosset, querunt, repetistis, replerunt, recalfecit, remasse, surpite, surrexe, sapisti, trieris, vestibat, vixet*, pro amavisti &c. adduxisti, calefecit &c.

10. *Epentesis* est Interpositio literæ, vel syllabæ in medio vocis; ut *Mavortis*, pro Martis, *Navita*, pro Nauta; *Intersiet*, pro intersit: *Cinctutus*, pro Cinctus: *Porsenna*, *Cucullus*. Relligio, reppulit, Relliquias, Induperator, Quattuor &c.

11. *Apocope* est Detractio syllabæ è fine vocis: ut *dic; duc, fac, fer:* pro dice, duce, &c. *Pauperis, & tuguri*. Virg. Ecl. 1. pro tugurii; *Ignobilis, oti*. Georg. 4. pro otii: *nostin', tun' nemon', men', min'*, pro nostine, tune. nemone, mene, *mihi ne'*: & frequentius in genitivis in ii: ut *Afrani, Amuli, Antoni, Apici, Aquari, Bari, Consili, Desideri, Dionysi, Imperi, Laberi, Lucreti, Numici, Oti, ut supra, Populi, Panæti, Patavi, Pompili, Remedi, Tarquini, Tati, Treboni, Tulli, Turani, &c.* pro Afranii, Amulii, &c.

12. *Paragoge* est adjectio syllabæ in fine vocis, ut *dicier, laudarier, monstrarier, ducier, avellier*, pro dici, laudari, &c.

At pulchrum est, digito monstrari, & dicier, hic est. Perf. Satyr. 1.

13 *Tmesis*, sectio, divisa dictione, & præsertim composita, aliquam vocem interponit, ut *hac celebrata tenus, hac Trojana tenus*: ideft hactenus celebrata, &c.

Septem subjecta trioni: ideſt ſubjecta Septemtrioni. Virg. *Quome cumque uocas*: ideſt quocumque me vocas. *In qua tibi cumque*. *In re tamen apſe*. *Argique letum*; pro Argiletum, &c. *Propeque diem ueniens*. *Super tibi erunt*.

At con brachia ſuefaciunt: ideſt conſuefaciunt Lucret. & *Inque uicem*, pro invicem.

Aſperior, duriuſcula, atque intolerabilis eſt in dictione ſimplici: ut illa Ennii. *Saxo Cere. comminuit brum*, ideſt Cerebrum &c.

Et Medi ſpernere Cinam. Gracch.

Lamen color tatrici, mutat lacrymis. Pompon.

Clauſa Sagi fera nant. Jul. Procl.

In compoſitis minus ingrata; *Per mihi inquam, gratum feceris*, pro pergratum. Cic. Attic. lib. 1.

14. *Antithcſis*, Contrapoſitio, & unius literæ in aliam Commutatio, ut *olli*, pro illi, *uolt*, pro vult, *Conſoles*, & alia apud Comicos.

15. *Metatheſis*, Tranſpoſitio, atque immutatus literarum ſitus: ut *Tymbre*, *Euandre*, pro Tymber, Evander. Virg. 10. & *facit are*, pro arefacit, & *dare circum*, pro circumdare, *Ouilia circum*, *eſſe ſuper*, & *tranſtra per*, pro ſupereſſe, per tranſtra &c.

16. *Cæſura*, quam cum Diaſtole nonnulli confundunt, eſt cùm in verſuum conſtructione, atque ſcanſione, pedumque menſura, pes in media deſinit dictione: ac proinde reliqua eſt aliqua ipſius dictionis pars: hæc dicitur à Poetis Cæſura, ſive unica ſyllaba ſit, ſive duplex.

Tantæ vis, tantæ gravitatis, tantique decoris ea eſt in carmine, ob quoddam intervallum, quod ſecum quodammodo affert, ut aliquando ſyllaba brevis, ſi

in

In Cæsuram incidat, pro longa habeatur,ac toleretur: nedum penès Græcos, quibus est frequentissima : sed etiam apud Latinos, qui eos imitati sunt.

1. *Triemimeris*, vel *Trocbaica*, quæ ex pede, & syllaba constat:ut in illo Virgiliano. *Quidue dolens,&c.* Aen.1.

Terrasque, tractusque maris &c.

Pectoribus inbians &c. Aen. 2.

2. *Pentemimeris, Semiquinaria*, quæ duobus pedibus, & syllaba redundante consistit : ut

Arma, uirumque cano.

Omnia uincit amòr, & nos cedamus amori. Ecl.8.

3. *Ephtemimeris, Semiseptenaria*, quæ ex tribus pedibus, & syllaba constat, ut

At ego, quæ diuûm incedo, &c.

Ostentans artem paritèr,arcumq;sonantem. Aen.2.

4. *Ennemimeris*, & Buccolica est, quoties post quartum pedem, syllaba dictionis ultima superest, ut

Ille latus niueum molli fultus byacintbo. Ecl. 6

F I N I S.

ER-

ERRATA		*CORRIGE*
pag.	2. dicitur	discitur
	31. Capella	Cappella
	38. Actuario	Auctario
	62. Corripit in E	Corripit E
	85. Mossolus	Molossus.

